This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

768n
S346



YC 01830

Digitized by Google

768m
S346

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

QUAESTIONES PERSIANAE.

DISSERTATIO PHILOLOGICA,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI IN ALMA ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

PHILOSOPHORUM ORDINIS

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT ET

DIE XXV. MENSIS JULII A. MDCCCLVII.

PUBLICE DEFENDET

JOSEPHUS SCHLUETER,

ARNSBERGENSIS.

MONASTERII,

TYPIS THEISSINGIANIS.

MDCCCLVII.

Digitized by Google

UNIV. OF
CALIFORNIA

Digitized by Google

PATRI

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VULT

SCRIPTOR.

572901

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIV. OF CALIFORNIA

I.

Quaestiones de satirae Persianae natura et indole.

„Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit.“ Quintl. X. 1, 94.

§. 1.

Quum quodvis carminum genus ex aetate scriptoris pendeat, tum satira, ut quae seculi mores corruptos castiget, omnia inde depromit argumenta, inde omnem colorem ducit. Comoediae, quae satiram affinitate quadam contingit, in priora tempora recedere licet, satira praesenti quodam impetu movetur, quum quo tempore omnia in pejus ruunt poeta satiricus summis viribus contendat, ut ingruenti rerum omnium exitio moribus corruptis acerbe castigandis sese opponat. Sed non solum ob materiam, quam ex tempore ipso depromat necesse est, satira inde pendet, cognatione quoque quadam studiorum poeta, qui satiras scribit et ii, qui illum legunt, conjuncti esse debent. Aetate prorsus corrupta et secordia insanabili demersa satira fere inutilis est, quum homines e torpore excitari et sorde vitiorum liberari vix patiantur. Ut Rothius »de satira Romana« p. 6 recte animadvertit, nec mediocritates nec nimietates satirae conveniunt, sed pravitas illa animi ac perversitas, ex qua hominibus ad virtutem redire atque ad bonam frugem se recipere licet. Verae satirae ea tantummodo aetate scribuntur, qua res publicae et privatae adeo corruptae et depravatae sunt, ut boni omnes rerum mutationem communibus votis exposcant. Quem illi concupiscunt reditum ad amissam naturam ipsam moresque sim-

Digitized by Google

phices et emendatos, cujus desiderio flagrant omnes, illum poeta libera voce efflagitat, qui naturae et vitae repugnantiam moribus aequalium arguta imagine exprimendis castigans id potissimum agit, ut ad bonam mentem ac sanitatam homines revocet.

Satiram, quum qualem descripsi aetatem requirat, aetate Neroniana non talem provenisse, qualem facile quisque exspectaverit, non ita mirum videbitur. Materia quidem satirae prostabat et uberrima et justissima. Virtutes, quibus olim Romani gloriari potuerant, fere ignotae erant; vitia, quae jam antea in rem publicam irrepserant et occulta contagione diffusa jam latissime serpebant, talem in modum excreverant, ut optimus quisque statum rerum immutatum summa cum indignatione intueretur. Illa aetate, qua vel mediocria ingenia ad satiras scribendas impelli poterant, unus qui satiras scripsit Persius exstitit. At quisquis satiras illius vel leviter percurrit, statim eo offenditur, quod materiam ditissimam et amplissimam vix attigit, res turpes et exitiosas, quae gravi reprehensione dignissimae erant, denotandas declinavit; quibusdam totus fere in sententiis generalibus versari videtur. Nulla unquam fit mentio vitiorum tunc maxime vigentium, non delatorum et causidicorum artes nefandae, non connubia stupro polluta, non turpiter abjecta equitum in arena dignitas, non libertinorum immodica omnia perpetrandi audacia perstringuntur. Difficile erat »satiram non scribere,« quum quocunque quis oculos convertebat, sceleribus vitiisque vitam publicam et privatam contaminatam videret. Persius, qui vitiis aetatis suae penitus indolescebat, satiris scribendis id maxime propositum habuit, ut homines vitiorum et errorum vinculis constrictos ad veram solidamque virtutem revocaret. At optime se id non assecuturum esse intellexit, si singulorum hominum vitam infamaret ipsosque publicae ignominiae objiceret; quotus enim quisque a turpissima illa vitiorum contagione liber erat? Quum satira ea potissimum vitia carpenda sumat, quae publice sunt exitiosa et uno descripto genus aliquod hominum describatur, Persius optimo jure corruptum litterarum statum, Deorum contemptum et anilem simul superstitionem, desidiam, mollitiem, luxuriam, avaritiam, quae vitia ejus aetate in dies magis grassabantur, ita depinxit, ut non unum vel alterum notaret, sed

Digitized by Google

unum describens omnes describeret. Siquidem satira hoc propositum habet, ut vitiis hominum castigandis homines vitae officia doceat et ad virtutem neglectam reducat, quomodo Persius satirici munere, quod tunc gravissimum et difficillimum erat, pro juvenili adhuc aetate religiosius fungi potuit? Non sine summa ipsius injuria cum Horatio comparatur, cui multo felicior rerum conditio ad ingenii dotes excolendas et proferendas contigit. Illius aetate quaecumque vel absurde vel indecore peccata erant carpere et ridere impune licebat; si alio tempore vixisset, satiram ejus plane aliam, aetate Neroniana omnino nullam futuram fuisse persuasum habeo. Persius aetate vixit, qua omnis dicendi libertas sublata erat, qua ingenue sententiam dicere crimini vertebatur; ingenia praeclarissima aegre se continebant, quominus libidine aliisque vitiis infames notarent, sed aequiora tempora exspectabant, quod Juvenalis fecit et Tacitus ipse (Agric. 3) de se praedicavit. Quod ad Neronem attinet, facile adducor, ut credam, Persium principis hujus scelestissimi mores satira vix comprehendi posse ejusque fines excedere sensisse. Persius igitur id propositum non habuit, ut vitia cum singulorum dolore exagitaret ac viros aliquo vitio infames in fabulas sermonesque hominum mitteret, sed ut seculi mores perditos et studia pravissima graviter reprehenderet, quod satira prima optime perfecit, qua corruptum litterarum statum egregie descripsit. Illud, quod satiras hominibus maxime commendat iisque gratissimas reddit, ut primores populi nominatim carpantur et acriter destringantur, apud Persium frustra quaesiveris, cui, quod nihilominus satirae ejus summo aequalium plausu et clamore excipiebantur et ut in vita narratur diripiebantur, eo major conciliatur admiratio. Si, quod supra dixi, satira tota ex tempore, quo scribitur, pendet, etiam aequalium judicio optime aestimatur. Et re vera Persii virtutem solidam et sanctam non minus admirari debemus, quam ingenii fervidum impetum ac vigorem, quo juvenis ad satiras scribendas incitabatur. »Scripserat etiam praetextam Vescio vel quocunque alio nomine haec fabula fuit et ὁδοιπορικῶν librum unum et paucos in socrum Thraseae, Arriam matrem, versus, quae se ante virum occiderat; sed ea omnia auctor fuit Cornutus matri ejus ut aboleret.« Quo aetatis anno

Digitized by Google

satiras scribere coeperit, traditum non est; certe praematuram adolescentis indolem admirari debemus, qui satiram, quam viri vitae peritissimi aggredi verentur, adolescentulus attigit, mortuus enim est ante annum aetatis duodetricesimum.

Satirarum librum a Cornuto recognitum Caesius Bassus poeta, qui »a prima adolescentia« summa familiaritate cum Persio conjunctus erat, edidit; editum continuo mirari et diripere homines coeperunt. Quantopere etiam doctis viris placuerit, ipsorum verbis probatur. Quintilianus, Persii verbis nonnunquam usus, celebratam de illo sententiam dixit: »Multum et verae gloriae quamvis uno libro Persius meruit,« quocum Martialis consentit:

„Saepius in libro numeratur Persius uno
Quam levis in tota Marsus Amazonide."

Lucanus Persii satiras adeo admiratus est, ut illo satiram coram amicis recitante haec vera esse poemata clamaret, at quae ipse faceret ludum tantum jocumque. A grammaticis saepe versus Persii laudantur, imprimis vero a scriptoribus ecclesiasticis, patres quos dicunt, lectitatus est, Augustino, Tertulliano, Lactantio, Hieronymo denique, qui »disertissimum satiricum« singulari studio et amore complexus satiras ejus fere edidicisse videtur. Alii scriptores, qui Persii mentionem fecerunt, ab Jahnio (p. 51 sqq.) enumerantur.

Media quae dicitur aetate Persium non minore gratia et auctoritate floruisse, non modo codices satis multi et antiqui et scholia, quae supersunt, sed etiam testimonia complurium scriptorum testantur. Recentiori aetate in judicio de Persii satiris faciendo viri docti magnopere inter se dissentiunt. Quam acerbe et injuste uterque Scaliger et Dan. Heinsius de Persio judicaverint notum est, nec multo melius nostra aetate Koenigius, Nizardus, Bernhardius de Persio existimarunt; at Casaubonus, Passovius, Herderus, Hamannus, G. E. Weberus, Meisterus, Hauthalius, O. Jahnius, C. F. Hermannus, Schlosserus, alii Persium contra illorum criminationes optime defenderunt eumque summi fecerunt. Verissime Heinrichius, qui, etsi multa in Persio vituperavit, virtutes ejus libenter agnoscit, plurimos, qui de Persio judicaverint, eum vel leviter cognitum damnasse vel

Digitized by Google

omnino vix cognitum habuisse dixit. Tralatitia illa obscuritatis opinione ducti multi Persii satiras vel parum diligenter legerunt vel male et dure in linguam nostram translatas percurrerunt. Hoc maxime requiritur, ut judicio utamur ubique integro, neve fictam quandam et praesumptam opinionem secuti ad Persii satiras legendas accedamus. Sententiam de illo veram ac sinceram, praesertim quum multi loci obscuri lucem desiderent, tum demum dicere possumus, quum eum non semel, sed decies legerimus ejusque cogitandi ac sentiendi rationem penitus cognoverimus. Tum multa aut constitui rectius aut defendi melius possunt, quum illum assidua lectione nobis familiarem reddiderimus.

Quod quum diuturni et acris studii in Persii satiris positi mihi conscius de me praedicare possim, incertum et dubium adhuc de pocta judicium certius reddere, quantum in me est, experiar et primum quidem quem locum ille in litterarum Romanarum historia obtineat, quaerendum esse existimavi.

§. 2.

Satiram Romanorum propriam esse, Quintilianus recte judicavit; Graeci satirica quaedam alius generis carminibus admixta, sed nullas habent satiras. Quare, quum satira pars quaedam poesis didacticae sit, num poema justum haberi possit, multi dubitarunt. Equidem illi, si certis finibus cohibeatur, formam poeticam aptam esse non negaverim, ab indole Graecorum prorsus alienam fuisse jam eo, quod satiras illi nullas scripserunt, satis probatur. Satirae verae tum solum nascuntur, quum natura et vita vinculis, quibus antea tenebantur, solutis inter se pugnant; quae tempora oratori satis commoda, poetae maxime iniqua et adversa sunt. Apud Graecos natura et vita pulcherrime inter se consentiebant, numquam apud illos poesis ita a vita abalienata est, ut in scholas vel rhetorum vel philosophorum confugeret.

Tum Graeci neque ad illam, qua Romani Neronis aetate demersi erant, morum pravitatem unquam prolapsi sunt, neque pristinas virtutes paribus vitiis contaminarunt. Satirica quaedam in iambis, epigrammatis, comoediis reperiuntur. Iamborum scrip-

Digitized by Google

tores vitia quaedam vel delicta singulorum acerbissime exagitant; sed quos petunt laedere volunt, non mores illorum corruptos emendare. Tanto illi studio, ira, rabie in certos homines sibi inimicos invehuntur, ut jure viri docti dubitaverint, num iambi inter poemata referri possint. Quorum natura, Horatii epodis optime expressa, quantopere a satiris diversa sit, etiam numerorum diversitate cognoscitur. Epigrammatis quoque nonnullis vitia singulorum mediocria vel errores leviores paucis verbis sed illis perfacetis ac dicacibus ita describuntur, ut risus legentium moveatur. Satira »sermoni propior« non singulos petit, sed vitia describens omnium rationem habet, ad quam comoedia Atticorum quae dicitur antiqua jam propius accessit; in illis fabulae partibus, ubi poeta choragum ad populum loquentem fecit, fines suos transgressa ipsius satirae vim obtinuit. Quapropter Horatius Lucilium omnem ex Eupolide, Cratino, Aristophane pendere dixit, quam sententiam grammatici fere omnes probarunt (cf. Isid. Origg. VIII. 7, 7). Et re vera, si satirae Romanae naturam fabulae similem spectamus, illa Diomedis grammatici sententia plane contemnenda non videtur: »satira dicitur carmen apud Romanos, nunc quidem maledicum et ad carpenda hominum vitia archaeae comoediae charactere compositum, quale scripserunt Lucilius, Horatius, Persius.«

Lucilius certe, qui primus inter Romanos satiras scripsit, antiquae Atticorum comoediae scriptores, moribus Graecorum ad vitam et instituta Romanorum translatis, imitandos sibi proposuit. Ut Attici illi poetae, imprimis Aristophanes, comoediam, ita Lucilius satiram totam ad rem publicam retulit, qui delectu omni et discrimine omisso »primores populi populumque tributim arripuit« et quidquid vel in re publica vel in hominum vita ac moribus corruptum et depravatum deprehendit, »multa cum libertate notavit.« Mala ac vitia rei publicae, quae jam uberrimam satirae materiam suppeditabant, fortiter denudavit et quoscunque illam corrumpere videbat, acerbe castigavit. Mores a vitiorum, quae ex Graecia et Asia in rem publicam advecta erant, contagione integros servare et exemplis pristinarum virtutum omnium ante oculos ponendis ad majorum simplicitatem revocare studuit. Erat in illo antiqua et vernacula sermonis

Digitized by Google

festivitas, virtus fortis ac mascula, summa denique indignationis vis, qua satiras ex intimo animo expressit, non arte et studio confecit. Quare minime mirum videtur, Quintiliani adhuc aetate fuisse, qui eum non tantum Horatio, sed omnibus reliquis poetis anteponere non dubitarent.

Horatius Lucilii satirae vere Romanae vim ac gravitatem agnovit et probavit (cf. sat. I, 10, 48; II, 1, 29. 75), sed rem publicam scriptores illius aetatis, a qua, libertate jam sublata, alieni erant, non tetigerunt, quare quum et ipse philosophia studiisque optimarum artium eruditus et cum viris liberali doctrina politis summa familiaritate conjunctus esset, satiram a rebus publicis ad vitam privatam et literas convertit. In his omne studium posuit et prae ceteris in horum statum jam ruinae pronum, in misera studia poetarum, qui nil nisi inanem et ambitiosam artis ostentationem quaerebant, cum summa indignatione invectus est. Haec satirarum Horatii anima, vis, nervi; non in eo versatur, ut mores corruptos malos reprehendendo corrigat, sed unum alterumve vitium vel potius errorem lepide deridet et quam satira poscit indignationem seriumque animi habitum urbana quadam hilaritate mutavit. Multo major satirae ad rem publicam relatae vis in carminibus quibusdam cernitur (I, 2; II, 13; III, 1—3; 5; 6; epod. 7, 16). Rectissime Rothius (»De satirae Rom. natura« p. 15. »Zur Theorie und inneren Geschichte der Röm. Satire p. 20) de Horatii satiris judicat, »nullam, si libri secundi quartam et quintam exceperis, reperiri, quae continuo carmine vitia rideat, plures, quae vel fabulae rectius, quam satirae dicantur, vel ipsius poetae causam agant, sed omnes fere, imprimis I, 2 et II, 3 ejusmodi materiis quaedam vere satirica habere admixta.«

Meras satiras Persius et Juvenalis scripserunt, qui satiram Romanam absolverunt et perfecerunt. — Hi satirae Romanae scriptores Lucilius, Horatius, Persius, Juvenalis non recte aestimantur, si virtutibus singulorum ad certam normam et regulam perpensis et examinatis inter se comparantur. Si nihilominus illi in contentionis judicium vocantur, recte Lucilius et Juvenalis, Horatius et Persius componuntur, quorum Lucilius satiram maxime ingenuam, fortem, vere Romanam reddidit, Juvenalis orationis

Digitized by Google

gravitate, urbanitate ac venustate sermonis Horatius excellit, Persius, qui alto ingenio et studio diligenti vitam hominum contemplabatur, omnia ad optimam et perfectam philosophiae speciem redegit. Longis quaestionibus et disputationibus nihil profici, modo ipsorum scriptorum naturam et tempora respicias, Montius Italus vere judicat, cujus verba perelegantia hic apponere liceat: (edit. p. 103) »Quando cerco uome di gusto, vado ad Orazio, il più amabile; quando ho bisogno di bile contra le umane ribalderie, visito Giovenale, il più splendido; quando mi studio d'esser onesto, vivo con Persio, il più saggio e con infinito piacere mescolato di vergogna bevo li dettati della ragione su le labbra di questo verecondo e santissimo giovanetto.«

§. 3.

Ut ad Persium redeamus, Horatii satiras illum studiose et diligenter legisse, Horatii modum et sermonis elegantiam non exaequasse facile cognoscitur. At satirica et fortiora plura habet atque eo Horatio praecellit, quod non suam, sed omnium causam agit, quod satiram ab aliorum carminum natura diversissimam et finibus angustioribus conscriptam philosophiae praeceptis pulcherrimis distinxit nominisque invidia sublata praecipua laude atque honore exornavit. Desideratur in Persio, quod satirae proprium esse solet, ut singulorum hominum vitia notentur, quum quorum mores describuntur non quidam fuerint omnibus noti, sed generis fere cujusdam hominum imagines et exempla referant quique illi fuerint nosse parvi intersit. Hac re Juvenalis Persium valde superasse dicitur; sed ille, verborum prodigus, sententiarum pauper, num, quod ipsorum principum mores corruptos et perditos notaverit, veris laudibus ornetur, valde dubito. Libera veritus »verba animi proferre et vitam impendere vero« (4, 96) se in sola mortuorum, utpote qui non amplius mordeant, flagitia invecturum esse profitetur:

„Experiar quid concedatur in illos
Quorum Flaminia tegitur cinis atque Latina." (I, extr.)

Satiram IV., qua Domitiani insanas ineptias, VIII., in qua v. 193, 198, 211—230 Neronis crudelitatem ac levia simul artis

Digitized by Google

musicae studia exagitavit, post ipsorum mortem conscripsit. Rari admodum apud Persium loci sunt, quibus homines nominatim corripiuntur, ut I, 85 Pedius Orator, II, 72 »Messalae lippa propago,« V, 9 Glyco tragoedus, VI, 44 sqq. Caligula, ridiculum de Germanis triumphum parans; Neronem ipsum non nominatum locis quibusdam satirae primae et quartae reprehendi patet. Aliis quoque locis (I, 13 sqq. 30 sqq. 70 sqq. 92 sqq. 127 sqq. IV, 25 sqq. V, 2—9) homines non nominati ita describuntur, ut, quos poeta spectaret, omnes intelligerent. Prorsus inutili vero studio viri quidam docti alios homines, nobis ex illorum temporum historia notos, inquisiverunt, inter quos Lehmannus Persii satiras illis poematis, quae a nobis politica appellantur, ascribere non dubitavit. Ille omnia fere ipsaque levia ac minuta ad viros vel in re publica vel in literis conspicuos retulit, quod argumentis satis incertis confirmaturus studio et doctrina mirifice abusus est. Sententiam disputationibus de sat. I. II. V. nuper editis (Philol. 6, 3. Ztschr. f. Althwisssch. 1852. No. 25. Progr. gymn. Gryphisw. a. 1855) viris doctis probare studuit, sed paucos tantum vel neminem puto eo deduxit, ut talibus »nugis pondus adderent.« Ut unum tantum moneam, si Persius re vera Neronem, Poppaeam alios ita denotavit, ut omnes intelligerent, Nero ipse illique alii non intellexisse putandi sunt? Recte Koenigius (p. 22 ed.) illos, qui Persium obscuritati studuisse affirmant, ut delatores effugeret, ridicule judicare dixit, ac si non istis temporibus vel levissima suspicio vim ipsius delicti habuisset. Quum satira non vulgus hominum, sed illos potissimum insectetur, qui vel dignitate vel opulentia vel doctrina omnium instar esse videntur, Persio illud vitio vertamus ad quod pro iniquitate rerum ac temporum coactus erat? Ipse veram animi sententiam aperire sibi non licere quam acerbe et graviter I, 119 queritur!

Qui ob illam causam Persii satiras contemnunt et disputationes e scholae umbris prognatas, sanguine et nervis carentes appellant, iniquius judicare mihi videntur, tamquam nullae omnino satirae scribi possint, quae res contumeliosas et insignis infamiae non contineant. Contrario vitio multae satirae laborant, quae nulla urbanitate mitigatae ac temperatae omnique virtute poetica

Digitized by Google

destitutae in mera convicia abire videntur. At quod philosophi et poetae didactici vitae honestate commendanda et praeceptis virtutis tradendis quaerunt, idem poeta satiricus sibi propositum habet, sed aliam ille viam ingressus improbos mores reprehendit, scelera flagellat et „inspicere tamquam in speculum in vitas omnium“ jubet.

Magnopere igitur errant, qui personae utrum verae sint, an fictae, ad verum tamen expressae, immane quantum referre omnemque satirici artem in singulis hominibus infamandis conspici putant, quod mihi, dum per tempora liceat, omnium facillimum videtur. Rerum inopiam, qua satiram debilem et enervem reddi intelligebat, Persius exemplis e vita communi petitis optime compensavit, quae quantopere satiras eius exornent omnes una voce praedicant. Ad satiram illam rigidam et severam, qualem Juvenalis scripsit, Persio non ingenii dotes defuerunt, quod nonnulli existimarunt, sed illa animi duritas et acrimonia, qua quis ad satirae virus evomendum irritatur et propellitur. Morum fuit, ut in vita narratur, lenissimorum, ad quos, quum patrem jam puer amississet, conformandos matris educatio, sororis et amitae usus domesticus multum attulisse videntur. Indoles animi ejus talis erat, ut semper sublimiora appeteret omniaque ad summam philosophiae formam speciemque redigeret. Quare quum ad vitam communem, vitiis pollutam et in pejus mutatam, non nisi aegre descendat, recte dubitare mihi videor, num Persius, si illi longior aetas suppetiisset, satiras scribere perseveraturus fuerit. Si alio tempore vixisset, haud dubie satiram, quam a Lucilio recens arripuit, nunquam attigisset, carminibus idyllicis vel elegiacis, quibus omnes ingenii fontes recludere, omnes poesis flores aperire poterat, dolorem animi effusurus. Sed quum vitia, quae Neronis aetate grassabantur, in dies latius effundi et evagari videret jamque imminentem morum ac virtutum ruinam animo prospiceret, juvenis sanctimoniae singularis se continere non potuit, quin satiris scribendis animum moestum ac sollicitum levaret. De edendis satiris, quum eas scriberet, ne cogitasse quidem, verum aequiora tempora exspectare in animo habuisse videtur, sed morte ejus praematura factum est, ut satirae imperfectae in amicorum manus venirent. Praeclare C. F. Hermannus (praef. p.

Digitized by Google

VII.) de Persio judicavit, poetam illum a natura, satiricum ab arte potius et schola (vel temporibus) factum esse et re vera Persium tum maxime quasi liberum et ex carcere emissum virtutem poeticam ostendere videmus, quum a satira ipsa discessit. Quare, qum satira vitae communis vinculis nimis constringatur, qui recentiori aetate satiras scripserunt, formam poeticam ut satirae minus aptam reliquerunt. Juvenalis satirae a satiris Persii quantum diversae sint, si modo Persii satiram II. cum Juvenalis X., hujus VII. et decimae quartae partem priorem cum illius satira III. componere velis, facile cognosces. Doctrinae ingratam et intempestivam ostentationem, frigidam declamationem, rerum ac sententiarum molestam repetitionem jure multi in Juvenalis satiris notarunt. Rhetorum illi more, argumentorum ordine prius designato, alia aliis subjungit, saepe, maxime vero in illis, quas irae aestu defervescente scripsit, satiris postremis tam a re quam tractat aliena, vel ex historia vel ex fabulis petita, profert, ut „a deverticulo fabulam repetere“ (XV, 72) cogatur. Jnventione poetica omnes carent neque, si XI. et duodecimae partem priorem exceperis, simplicitate quadam ac venustate commendantur. In singulis velut in tabula picta describendis Juvenalis egregius est, in ceteris fere rudis. Tum in vitiis denotandis „altum satira sumente cothurnum“ (VI. 634.) nimius est, quum fere ubique rem verbis augere et exasperare soleat. Res vel turpissimas ac foedissimas patefacere et in luce collocare non erubescit et rei publicae totum corpus quasi obsitum ulceribus et tabe confectum denudat. Omnia ibi vasta ac deserta nullusque fere locus in quo requiescas ostenditur. Ut paucis dicam, Juvenalis satirae rhetoricae sunt, Persii philosophicae.

Nusquam apud Persium illa „monstra nulla virtute redemta a vitiis,“ (Inv. IV., 2) „quaecunque perniciem ferunt“ (Hor. sat. I, 4, 130) reperiuntur, non in homines flagitiis ac sceleribus obrutos invehitur, sed illorum vitam miseram commiseratur illorum mentis caecitatatem deplorat, qui „inter scabiem tantam et contagia lucri nil sapiant“ (Hor epp. I., 12, 14) et philosophiam omnis virtutis magistram aspernentur. Quamvis „uni aequus virtuti atque ejus amicis,“ non ille, qualis a nonnullis describitur, tristis ac morosus et qui congressus hominum fugerit,

Digitized by Google

Quanta festivitate (ac vere ingenua hilaritate) satira prima et reliquarum satirarum loci nonnulli (cf. II, 30 sqq. III., init. VI., 33 sqq.) excellunt! Ceterum res ridiculas et jocosas raro admisit, quum animus ejus, atrocitate temporum depressus, nimio dolore cruciaretur. Severitas ac gravitas, qualis in Persii satiris conspicitur, nec tristis illa nec dura, satirarum scriptorem decet nec veram justamque condiderit, nisi qui virtutis studio incensus cum quadam indignatione in prava omnia et perversa invehatur. Summum honestatis et virtutis studium, fervidum verae ac sincerae indignationis ardorem, animum Romanum simplicem et incorruptum nemo in Persio non potest agnoscere. Hoc unum dolemus, quod morte praematura absumptus vitam et studia hominum non satis usu nosse potuit, sed eo magis illum animi impetum admirari debemus, quo incitatus, quae multarum rerum usum postulat, satiram adolescens attigit nec vitam desidem et quietam degere voluit, „dum patruum saperet.“ (I., 11.)

§. 4.

Satiris, quas primas scripsisse videtur, quinque, quae ex nostro ordine postremae leguntur, praecepta quaedam Stoicorum illustravit, verum non ita, ut in scholis illa tractari didicerat, quae Jahnii, cujus de Persio merita ceterum summi facio, sententia est. Quodsi Persii satiras cum illis utriusque Senecae libris comparamus, permultum hercle inter patris saepe inficetas controversias et suasorias, filii disputationes, interdum ingeniosas plerumque aridas atque jejunas, et Persii satiras interesse videmus. Apud illos omnia e schola profecta, sine sanguine et nervis, a Persio, simulatque ex scholae vinculis effugit, vera ac vivida vitae imago exprimitur. Senecam philosophum „sero cognovit, sed non ut caperetur ejus ingenio,“ quod magnam et incorruptam judicii sanitatem in adolescente Stoicae philosophiae dedito ostendere Hermannus (praef. edit P. p. VIII.) scite animadvertit.

Satira prima, quam Persius, quum „a schola et magistris divertisset,“ scripsisse videtur, tam perfecta, tam ad verum expressa est, tot ingenii luminibus distincta et facetiarum lepore

Digitized by Google

tamquam sale perspersa, ut ullam vel Horatii vel Juvenalis satiram illi parem existimare dubitem. Persium hanc satiram ultimam scripsisse quum eximia prae ceteris praestantia, tum eo probatur, P. Blaesus, a. 813 duobus annis ante Persii mortem repetundarum accusatus et senatu motus, v. 85 sqq. acerbe castigatur.

Ceterae quoque satirae quo ordine scriptae fuerint, singularum argumento, consilio, natura accurate examinatis, quaerere studui, quod mihi ad judicium de Persio faciendum haud parvi momenti esse videbatur. Prima omnium satira quarta scripta esse videtur, quum sententiarum ordine maxime simplex et inornata et ex imitatione dialogi Platonici profecta scholam maxime redoleat ac tota in eo versetur, ut sententiam illam jam ab Horatio (sat. I. 3) explicatam, plerosque homines sua vitia ignorare, aliorum delicta graviter reprehendere, exemplis quibusdam illustret. Quorum primo illo adolescentis, qui iis, quae a principe requiruntur, parum instructus ac sola generis dignitate confisus rei publicae administrandae partem capere cogitat, Neronem peti mihi certissimum videtur. Totam satiram ad illum referre, quod Casaubonus, Meisterus, alii fecerunt, absurdum est et historia ipsa refutatur, quum Nero quinquennio illo omni laude dignus habitus sit. Sed quod prima satirae parte (v. 1—22) qua Socratem Alcibiadis in summa rerum publicarum imperitia ingenii et eloquentiae arrogantiam accusantem fecit, tecte vituperatur, eo mea sententia, quam etiam Jahnium (proll. p. 64, 1) habere nunc video, Persium hanc satiram primam scripsisse, defendi mihi videtur; Neronem prima statim satira ab omni reprehensione incolumem evasisse vix verisimile est. Post hanc satiram Persium illas scripsisse puto, quas ad Caesium Bassum poetam sibi familiarem, Ann. Cornutum praeceptorem et quem praeceptoris loco habuisse videtur Plotium Macrinum misit. Adolescentes enim quae prima confecerunt carmina ad amicos et praeceptores mittere solent. Hoc quoque Persium satiras publicis usibus non destinasse probatur (cf. V, 21 „secreti loquimur"). Harum satirarum, quas Horatii epistolis non dissimiles dixeris, primam ad Caesium Bassum, secundam ad Plotium Macrinum, tertiam ad Ann. Cornutum missam a Persio scriptam esse existimo, quod nonnullis argumentis ex ipsarum natura petitis probaturus sum. Satira quae

Digitized by Google

sexta legitur a reliquis satiris, quibus poeta bene vivendi praecepta quaedam tradit et ad virtutem sancte colendam adhortatur, plane diversa talem animi fervorem, quo poeta quid sentiat libere et ingenue profitetur, talem sermonis hilaritatem ac fere intemperantiam ostendit, ut nisi ab adolescente et ad aequalem eademque sentientem amicum omnino scripta esse non possit. Sermo omnis ad illius cui scripta erat mores componeretur ac comformaretur necesse erat nec minor illius quam argumenti ratio habenda. Praeterea eo, quod hac et quarta satira a rebus obscoenis verbis satis liberis ac fere agrestibus describendis non abhorruit, Persium illas primas scripsisse comprobari mihi videtur. Quum adolescens „verecundiae fere virginalis" homines effusis in omnem intemperantiam libidinibus contaminatos quotidie videret, temperare sibi non potuit, quin ad illam verborum contumeliam descenderet.

Satira II. et V., quae post illas scriptae esse videntur, reliquis multo graviores sunt veramque ac perfectam philosophiae Stoicae imaginem exprimunt. Satira secunda, qua hominum in votis faciendis pravitas et stultitia reprehenditur, sanctissima verae erga Deos pietatis praecepta continet, quorum illud:

„Compositum jus fasque animo, sanctosque recessus
Mentis et incoctum generoso pectus honesto,
Haec cedo ut admoveam templis, et farre litabo."

vere christianum est.

Satira quinta, qua Horatii sententia (epist. I, 16, 65)

„— qui cupiet, metuet quoque, porro
Qui metuens vivit, liber mihi non erit unquam."

illustratur, ab omnibus earum, quae philosophica argumenta tractant, praeclarissima jure habetur; nam argumentorum apta dispositione, sermonis elegantia et quae in disputando raro reperitur poetica virtute insignis est. Ceterum Koenigius (p. 14 ed.) aliqua ex parte recte judicavit, Persium in hujus satirae argumento deligendo, non e vita communi sed ex stoicae disciplinae penetralibus desumpto, maxime errasse, quum talis disputatio, more philosophorum instituta, quae subtili argumentatione nitatur, jam per se omnem poeticam tractationem respuat. Sed eo Persius satis excusatur, quod satiram illam non in vulgus, sed

Digitized by Google

ad Cornutum philosophum misit, quem sibi praeceptorem contigisse laetatur, cujus in se merita grato animo praedicat; fere inepte fecisset, si aliud argumentum, ab illo quod tractavit plane diversum, elegisset. Certe haec satira non multo ante Persii mortem scripta est, quum sedecim ille annos natus Cornuti, quocum „longos consumere soles et primas epulis decerpere noctes" se meminisse dicit, amicitia ac disciplina uti coeperit. — Tertia satira illos, qui lenociniis cupiditatum obstricti, socordia atque inertia sopiti vitam mollem ac delicatam agant et philosophiae studium negligant, gravi voce increpat. Proxime ante primam satiram scripta esse videtur; gravissimum ut illa, vitium luxuriem, summi materiem mali, impugnans pari fere sermonis alacritate et vigore excellit. Persium in satiris scribendis iam tantum profecisse videmus, ut quanta satirae Romanae spes morte ejus immatura praecisa sit, vix aestimari possit.

§. 5.

Restat, ut de philosophica Persii satirarum natura pauca adjiciam. — Ex illa de Persio ipso viri quidam docti conjecturas fecerunt, quae nullis firmis ac certis argumentis probantur. Jahnius (proll. p. 60) „Persium vitam non usu novisse ipsam, sed qualem scholae severa disciplina repraesentarit" satirasque ejus „quam maxime disputationes esse e stoicae philosophiae scholis prognatas" (ib. p. 68) judicavit, quam viri doctissimi sententiam integram probare non possum. Prorsus vero ficta et arbitraria illa sententia est, Persium a vita hominum remotum atque „indefesso litterarum studio laborantem" (Jahn. proll. p. 45.) ultra scholam et magistros nihil sapiisse. Vitam solitariam et umbraticam, qualem nostri philosophi, rerum humanarum fere nullam rationem habentes, colunt, veteres, qui philosophiam vitae recte instituendae ducem ac magistram habebant, contempserunt nec unquam talem viderunt. At reputemus, quae vitae scriptor, quisquis is est, de Persio narravit. A Remmio Palaemone grammatico et Verginio Flavo rhetore puerili doctrina institutus L. Annaeo Cornuto, viro doctrina liberali et maxime philosophia erudito, in disciplinam se tradidit, a quo „aliquatenus in

Digitized by Google

philosophiam inductus est“ et profecto majorem philosophiae amorem, quam accuratam cognitionem in Persii satiris inveneris. Philosophiae stoicae tunc fere optimus quisque se dedit ad eamque omnes, qui Romanum animum servaverant, refugerunt. Caesium Bassum poetam et Calpurnium, de quo nihil fere notum est, a prima adolescentia amicos habuit, „per Cornutum cognovit etiam Lucanum,“ Claudio Agathino medico Lacedaemonio et Petronio Aristocrate Magnete, qui condiscipuli aequales Cornuti domum frequentabant, familiariter usus, denique cum Servilio Noniano, Plotio Macrino, Paeto Thrasea, viris doctrina ac morum sanctitate claris, usu domestico atque consuetudine conjunctus est. Persium cum tot summis viris quotidie fere conversatum a convictu humano prorsus alienum fuisse et „vitae nescio errore“ (V, 39) captum in scholae umbris abditum delituisse vix credi potest. Singularem Persii artem atque virtutem in describendis hominum moribus conspici non est qui negaverit. Paucis verbis illorum naturam tam probe depinxit, illorum sermonem subtili imitatione tam eleganter et commode expressit, ut cum iis vivere et loqui videamur, quam rem Meisterus (Letzte Studien p. 30 sqq.) et Jahnius (proll. p. 83. 104 sqq.) accuratius explicarunt. Adde similia e vita quotidiana petita et proverbia, quibus saepissime utitur, (cf. Jahn. p. 106); scriptores docti illa despiciunt et contemnunt, quae qui „in hisce quotidie versantur“ (Jahn. ib.) adhibere solent.

Quod Jahnius docta quaestione de mimis instituta (p. 82—104) probare tentavit, Persium artem quae illi tribuitur mimicam acri ac diligenti studio in Sophronis carminibus posito sibi comparasse, nullis veterum scriptorum testimoniis confirmatur. Persius illam quam laudavi artem non studio didicit, sed ex vita ipsa arripuit et quasi dotem a natura accepit. Ille, qui hominum consuetudinem fastidiisse dicitur, qui potuerit illorum naturam tam bene cognitam habere, tam ad verum exprimere, ut quid maxime quemque deceat, quid cujusque sit maxime suum, nunquam nescius sit? Haec Persii ἠθοποιΐα et ἐνάργεια eo magis admirabilis est, quo difficilius est, satirarum scriptorem iis contineri finibus, „quos ultra citraque nequit consistere rectum,“ quum longius in singulis depingendis commoratus satirae vim

Digitized by Google

infringat et a via aberrans propositum non assequatur. Parvulae illae vitae quotidianae imagines, quas Persius expressit, paene sub oculos subjectae nativum ac verum vitae ipsius colorem adeo servarunt, ut omnem illius quasi succum et sanguinem imbibisse videantur; ficti vel fucati in iis nihil invenias. Ampliores et grandiores sunt, quas Juvenalis effinxit, eaedem in veritate fere nimiae, pingues ac horridae eoque a Persianis maxime diversae, quod externam solum hominum formam et habitum ostendunt *). Satirae Persii, qui »in sese descendens« mentem perscrutatur, ex diligenti naturae humanae studio profectae sunt. Persius, sanctissimus inter satiricos Romanos, tam sublimem gradum occupat, tam grandem rerum humanarum prae se fert contemplationem, ut ad singula e vita communi petita raro descendat; ille, non contentus male facta carpere, vitiorum naturam a fonte repetit et quomodo neglecto virtutis et sapientiae studio in vitam omnium irrumpant ostendit. Poeta satiricus quum illis maxime vitiis abstinere debeat, quae in aliis reprehenderit, Persius, morum sanctimoniae fere christianae, Horatio ipsi interdum levi ac parum verecundo animi splendore longe antecellit, si Montii verbis uti licet, „l' uno è il catechismo della virtù, l' altro è il breviario de' cortegiani.“ Satirae ejus non in quosdam homines, duces illos ac quasi signiferos reliquorum, sed in rem ipsam, non Romanis, sed omnibus hominibus scriptae sunt. Quare major in illis sententiarum, quibus potissimum satira ab iambis secernitur, quam apud ceteros satiricos copia est, nec, quin eo satirae vis et robur interdum imminuatur, negari potest. Persius, quo erat ingenio leni et mansueto, vitia hominum verbis increpare non sine magno animi dolore constituit. Praesenti vitiorum statu dum alii periculum, quod omnibus intenditur, vel non sentiunt, vel parvi pendunt, vel dicteriis in singulos homines faciendis

*) Eadem fere Francogallorum comoediae natura est, de qua J. P. Richterus, subtili vitae descriptione, judicii acumine, humanitate, ubertate etiam figurarum et insolita interdum sermonis ratione Persio simillimus, ut nostri dicunt congenialis, praeclare judicavit: „Die französische Komik basirt eben überhaupt auf dem Begriff des Witzes, der formellen Ironie, der Satire der äusseren That und Erscheinung, die deutsche auf dem des Humors, der Satire des inneren Wesens des Menschen.“

Digitized by Google

animi sollicitudines sublevant, poeta satiricus, quae in uno aliquo reprehendit, non solum, ut omnes vitent illiusque dissimiles sint, monet, sed etiam, quo mores illorum emendet, gravissima philosophorum praecepta adjungit. Persius, quum vitia jam praevalida in dies increbescere videret, spem melioris rerum conditionis, quod Juvenalis fecit, non abjecit; philosophiae solatia, medicinam doloris, requirens verae ac solidae virtutis imaginem hominibus, quam intueantur, proponit.

§. 6.

Iis, quae de satirarum Persii natura disputavi, pauca, ne quid deesse videatur, de sermone quo usus est addere constitui. Decantata Persii obscuritas est *), quae virorum doctorum studiis curisque minuta an aucta sit dubitatur. Diversis quibuscunque illorum sententiis recensendis et perlustrandis intelligentiam obscurari potius, quam illustrari Jahnius recte judicavit. Tralatitia illa obscuritatis opinione ducti priores certe interpretes quae satis clara erant, obscura reddiderunt simplicemque verborum ordinem perturbarunt ac perverterunt (Persium ut idem Montius dicit, „in un lago di note“ suffocarunt). Quapropter qui Persii satiras primum sine commentariis legerit, nonnulla statim non percipiet, sed Persium, jam primoribus labris degustatum, postea melius intelliget. Obscuritas quaedam vel rerum vel verborum omnibus poetis satiricis communis est, neque vitio iis vertenda; multa, quae nobis obscura videntur, quum scribebantur, omnibus notissima erant, quae brevius dicta conquerimur, illis vel uno verbo satis indicabantur.

Nonnullis quidem locis Persius multum studuisse videtur, ut, quae sentiat, aptis verbis exprimat, sed multo plures sunt, qui facile intelliguntur et sermonis elegantia excellunt. Causam illius obscuritatis viri quidam docti in imbecillitate ingenii vel defectu verborum reperisse sibi videntur, Persium pugnare quodammodo cum sermone et quae mentem agitent vix tandem

*) „Persio libro scomunicato per tutte le anime paurose.“ Monti. (Libelli titulus est: „Satire di Persio, traduzione del cavaliere V. Monti. Milano 1826.“)

Digitized by Google

proferre dicunt. Quae sententia maximam partem ex illis, quae in vita leguntur, verbis: „et raro et tarde scripsit“ prave intellectis profecta esse mihi videtur; Persium tarde scripsisse, quod tardi ingenii existimant, conclamant omnes, quod raro scripsisse dicitur praetermittunt. Illa breviloquentia et in translationibus audacia, in quibus plerique, dum Persii satiras legunt, offendunt, Persii aetate apud optimos scriptores valebant, quum alii, qui omnia ad voluptatem multitudinis imperitae componebant, sermonis lascivia et mollitie, pejoribus vitiis, laborarent et literas misere corrumperent. Qui illum literarum statum consideraverit, Quintiliani sententiam (inst. or. IX, 4, 142): „in universum autem, si sit necesse, duram potius atque asperam compositionem malim, quam effeminatam atque enervem, qualis apud multos“ probare non dubitabit. Perversum illud orationis effundendae studium, quo tunc plurimi ferebantur, Persius non modo satira prima acerbissime castigavit, sed etiam, omnibus orationis non ornamentis, sed lenociniis fortiter rejectis, suo ipsius sermone illis repugnandum esse judicavit. Singularem Persii virtutem in hoc positam puto, quod, cui nihil a natura denegatum, neque a doctrina non delatum videbatur, puerilem illam sermonis eruditi et rhetorum more exornati ostentationem aspernatus gravi ac nervoso, nonnunquam quidem duro sermone usus est. Adstricta illa dicendi brevitas, ut alia omittam, Persio cum Tacito, ipso oratore vel potius poeta, communis est; uterque verbis pressus sententiis abundat. Dominatione impotente, moribus non jam integris perniciosa, dum ingenia imbecilla opprimuntur, fortia ingenia, Tacitus, Thucydides, Cicero, Demosthenes, promoventur et felicia naturae semina maturius excitantur. Stoicorum vero dicendi genus concisum ac minutum, quod multi Persio attribuerunt, illum non minus contempsisse eo perspicitur, quod Senecae ingenio minime captus esse dicitur. Quae apud illum inveniuntur et philosophum decent, quietum, aequabile, temperatum dicendi genus, prooemium, quo lecturi animus ad quaestionis summam percipiendam praeparetur, logica argumentorum dispositio, apud Persium frustra quaesiveris. Num in illius sermone nunc concitato et vehementer commoto, nunc molli, ut in carmine elegiaco, et mansueto certa et sibi constans scholae

Digitized by Google

dicendi ratio agnoscitur? Optime Ciceronis illis de Thucydide verbis (Brut. c. 7) de Persio, quamquam illi ingenio longe dispares sunt, judicaveris: „grandis verbis, compressione rerum brevis et ob eam ipsam causam subobscurus.“ In Persii satiris pauca tantum verba non vulgaria et figurae parum usitatae orationi obscuritatem et tenebras afferunt, Juvenalis satirae doctrina repletae sine commentario vix intelliguntur. Sed ille translationum usus veterum scriptorum omnium, quibus major cum natura necessitudo contigit, proprius est. Persius duce natura sua ubique mentis quo excelluit acumine quasdam animi cum rebus similitudines inquirens nonnullis quidem locis judicii elegantiam non servavit, ubi vel duabus et quae prorsus dissimiles sunt imaginibus, dubius utram eligeret, utitur, (I, 24; IV, 12; V, 25) vel quod jam imagine expressit, verbis propriis repetit et accuratius declarat (I, 5 sqq. III, 67 sqq. V, 10 sqq.). Verissimum vero est, quod Longinus dicit, tropos sublimium esse ingeniorum, quorum et illa dicendi brevitas, quae lectorem acutum et attentum desiderat, maxime apud Persium, qui saepissime sermonem inceptum abrumpit mollesque ad argumenta aditus spernit. Persii sententias non ubique satis nitide et eleganter conformatas esse facile concedo, sed ex natura ipsa petitae cuique rei maxime sunt accommodatae. Poetae comici et satirici omnes, ut hominum vitia gravius exagitent et risum moveant, sermone festivo, interdum contorto utuntur, neque tropos *) repudiant; non apud illos quaeritur, quid per se pulchrum ac perfectum, sed quid rei, quam describunt, aptum et conveniens sit.

Ut vero Persii satirae penitus intelligantur, neque hoc negligendum est, quod dialogo, satirae Romanae proprio, utitur, quem ita instituit, ut adversarium suam ipsius sententiam defendentem sibi fingat. Hic aliorum causam agens sermonem hominum tam egregie expressum reddit, ut illi Baconis Verul. praecepto: „loquendum est, ut vulgus, sentiendum, ut sapientes“ in Persii satiris optime satisfactum esse dicas. Summa vero poeta in dia-

*) Quos Montius argute „un arme di riserva“ appellavit.

Digitized by Google

logo disponendo utitur libertate, quo factum est, ut interpretes nonnullis locis dubii fuerint, utrum verba adversarii aliquid contra dicentis sint, an Persii per ironiam loquentis, quum nonnunquam, adversario dimisso, quem ille inceperat sermonem absolvat vel tantum imitetur. Aliis locis (I, 24 sqq. 92 sqq. VI, 33 sqq.) interpretes adeo errarunt, ut adversario attribuerent, quae ab ejus natura prorsus abhorrent; an poetam, alias in hominum moribus depingendis egregium, illic mirum in modum errasse putarunt?

Hactenus haec, etsi alia multa de novis, quae Persius vel excogitavit vel recepit, vocabulis, de bene structa verborum collocatione, de versuum ratione, similia addere possem et cuperem, nisi altera disputationis pars, quae nonnullis gravior videatur, critica, ut grammatici loquuntur, adhuc reliqua esset. Ad illam igitur pergo.

Digitized by Google

II.

Quaestiones criticae.

„Ἡ τῶν λόγων κρίσις πολλῆς ἐστι πείρας τελευταῖον ἐπιγέννημα.“
Longin. de subl. c. 6.

Satirae Persii fere incorruptae ad nos pervenerunt, ut quocunque fere loco vera lectio ex satis bonis et antiquis codicibus firmari possit. Quum vero, quod Jahnius docuit (proll. p. 193), nullus codex tam integer sit, ut eum potissimum sequaris et „diversis locis diversi codd. verum tueantur,“ ubique, quae genuina Persii verba fuerint, judicio et rationibus decernendum est. Conjecturis, quod paucis scriptoribus contigit, opus non est, unam quam Jahnius proposuit (IV, 48) ipse rejecit (proll. p. 193). Nostra aetate Jahnius de Persio optime meruit, cujus commentario diligenti studio et judicio eleganti confecto omnibus, qui hujusmodi adminiculum desiderabunt, satisfactum erit; equidem multis libris non sine taedio perlectis illo quaecunque alii de Persio scripserunt fere inutilia reddita esse cognovi. C. F. Hermannus in lectionibus constituendis scholiis nimium tribuit, quae ‚codicum quotquot habemus vetustatem non modo aequare, verum etiam superare“ (Lectiones Persianae I, p. 25) neque tutius, quo nitantur critici, fundamentum reperiri contendit. Sed docta Jahnii de scholiis instituta quaestione (proll. p. 113—125) inesse iis quaedam, quae antiquum originem prodant, verum multo plura a grammaticis mediae aetatis profecta esse, exploratum mihi videtur. Levius quidem et iniquius, sed in universum recte Koenigius (edit. Pers. p. 28) de illis judicat, aequalibus, quibus

Digitized by Google

et res et verba nota fuerint, scholiis nihil opus fuisse, nihil fere in iis legi, quod non ipsis poetae verbis contineatur, pauca tantum ex aliquo grammatico non nimis vetusto desumpta videri, nullum denique locum difficultate aliqua insignem illis esse illustratum. Quae Hermannus „largissimum verae lectionis fontem praebere“ asseveravit, scholiorum „lemmata,“ non video cur illa vel pluris faciamus, quam ipsius Persii verba, vel ab omni corruptione integra servata putemus. Multo certius, modo ne, quo Hermannus saepe erravit, unumquodque vocabulum statera examines, ex ipsa versuum interpretatione quae Persius scripserit constitui potest. Idem Hermannus, qui tantum scholiis tribuit, compluribus locis „ancipiti obsequio“ lectiones recepit, quae illis plane contrariae sunt (cf. II, 10, 62; III, 66, 68, 100; V, 15, 66, 73). Jahnius Hermanni vel auctoritate, vel argumentis commotus in editione minore nonnulla mutavit, num recte, suo loco examinabimus. Subtilior illius scribendi ratio (cf. I, 57 extet; I, 82 exultat; V, 176 extincta; VI, 34 negleget; 37 urguet; 40 fenisecae; adque (?), set, haut compluribus locis), qua in re ut magno aliquo viros doctos nunc gloriari videmus, mihi parum fructuosa videtur; Hermannus illam silentio improbavit, at distinctionem verborum accuratiorem, qua multae distinguendi notae supervacaneae recisae sunt, in suam editionem recepit. Veteres interpretes, si Casaubonum et Turnebum exceperis, Persium non recte intellexerunt. Inter interpretes recentiores Jahnio et Hermanno semper prima suffragia dedi; illis consentientibus me, ubi nihil contra dixi, astipulantem haberi volui.

Quum verborum sententiam et mentem poetae recte intelligere, ut, quae ille dicere non poterat, ne cogitari quidem possint, quae dicere debebat, ultro fere se offerant, principium omnis interpretationis sit et primum, quod ipse criticus spectet, interpretes vero, dum, graviora praetermittentes, multa, quae nihil ad rem, proferunt, lectorem saepe vel incertum, vel male doctum dimittant, Persii satiris fere integris servatis interpretando magis quam emendando difficultatibus, quibus adhuc nonnulli loci laborant, succurretur. Quare hoc mihi proposui, ut, ubicunque viri vere docti in diversas sententias abierunt, meam

Digitized by Google

sententiam breviter exponerem versusque non satis explanatos retractarem. Quod mihi eo magis operae pretium videbatur, quum ipse Jahnius, ne simplicitatem interpretandi perderet, aliorum sententias diligenter quidem examinarit, sed in controversiam non vocaverit. Quum vero difficillimum sit non frustra in eo laborare, in quo paucis abhinc annis viri doctissimi atque ingeniosissimi operam suam collocarunt, si hae quaestiones leviores a VV. DD. judicatae fuerint, me, in literis adhuc minus exercitatum, veniam ab illis impetraturum esse confido. Semper usus loquendi, consilii scriptoris, rerum et verborum nexus diligenter rationem habui utque novi aliquid proferrem, spectavi.

Prologum non apte ad omnes satiras referri, sed cum prima satira artissime cohaerere, ut cum hac quasi unum carmen efficiat, plerique interpretes recte cognoverunt. Ipsa satira prima, praeclarum ingenii poetae documentum, quasi prologus reliquarum satirarum est, qua Persius se ab omnibus suae aetatis poetis, quorum studia contemnebat et pro nihilo ducebat, sejungit et rationes, quibus potissimum ad satiras scribendas incitatus sit, affert. Illi quam maxime errant, qui Persium, quum poetis, quorum carminibus homines tunc maxime delectabantur, adnumerari non velit, suum ipsius ingenium elevasse putant. Prologum totum, quum poeta superbe ac fastidiose potius, quam modeste loquatur, meram acerbissimam irrisionem esse jam Casaubonus intellexit.

V. 9 recte legi „verba nostra“ Jahn. (in ed. min.) et Herm. consentiunt. Picae vocem humanam i. e. verba imitari dicuntur; acutius illi viderunt, qui „nostra verba“ scribentes Persium psittacorum Graeca, picarum Latina verba intellexisse putant (cf. Herm. Lectt. P. III, p. 3). Eodem versu qui poetae verba ad grammaticorum leges dirigunt, picamque scripserunt ut, quum numerus singularis psittaco praecedat, justa servaretur verborum ratio. — V. 12 refulgeat certe falsa lectio est, quae ex scholiastae verbis „refulserit, refulgeat“ profecta esse videtur. Poetas illos, dum carmina recitant, perpetuo nummorum splendore stimulari acerbum est, non verum, cf. IV, 47:

„— viso si palles improbe nummo.“ Jahnius nollem quae in editione maj. scripsit (picasque, refulserit) mutasset.

Digitized by Google

Satira prima.

Hermanni verborum V. 2 et 3 distributio

„Quis leget haec? — Min' tu istud ais? nemo hercule? —
Nemo? —
Vel duo, vel nemo. —"

etiam Goethii (qui quidem Persium non cognovisse videtur, cf. Heinr. p. 62) verbis Faust. II, p. 210

Satiriker: „Wisst ihr, was mich Poeten
Erst recht erfreuen sollte?
Dürft' ich singen und reden,
Was niemand hören wollte."

comprobari possit. — V. 8. Ah Casauboni, Reizii, Orellii, Weberi utriusque, Ritteri, nunc etiam Hermanni et Jahnii consensu commendatur, quod, quum post verba „quis non" aposiopesis statuenda sit, mihi fere necessarium videtur. Quae poeta hic reticuerit, qui mentem ejus cognoverint, facile intelligent. Conjectura aberrarunt, qui poetam jam verba illa, quae v. 121 leguntur: „auriculas asini quis non habet" in animo habuisse existimant, quum ipse non „quis non," sed „Mida rex" scripserit. — V. 17. Nulla causa est, cur cum nonnullis, qui poetae verba pro suis rationibus interpretantur, leges vel leget scribamus. Participium legens, quod omnes fere codd. praebent, Persius, cujus sententia est: „scribimus, ut recitemus" insolentius quidem, sed fortius pro partic. fut. „lecturus" usurpasse videtur. Quam vivida et vera stolidi illius poetae descriptio, qui, dum versus fundit, recitationis splendorem et plausum populi animo praecipiens ad majorem scribendi celeritatem incenditur. Allocutionem collueris loco minime aptam esse, quamvis ipse temere leget scripserit, Heinr. intellexit. — V. 23. Verbis cute perditus illam animi conditionem, qua innata vis omnis corruat, significari Heinrich. recte negavit, quum non homo improbus, sed stupidus et ingenio obtuso intelligendus sit, qui laudis sibi tributae vilitatem vix sentiat, nec illam respuat. Quod olim putavi „cute perditus" proverbii locum obtinere, ut Graecum ἐν χοῷ, ἐγκυτί (cf. III, 30 „ego te intus et in cute novi"), nostrum „in der Haut verdorben," ob hanc causam rejeci.

Digitized by Google

Quantae interdum ineptiae dialogo non recte intellecto oriantur, hic locus documento est, qui, nisi Persii in dialogo licentiam, qua, quum adversarium loqui existimes, ipse loquitur, diligenter observes, non intelligitur. Quod nuper Kisselius *) satis probasse mihi videtur, inde a v. 4 omnia Persii sunt, quum nihil adversario apte tribui possit. Interpretes fere omnes, etiam Jahnium et Hermannum, vv. 24, 25 adversario attribuisse, me vix intelligere fateor. Quae, nisi illum sibi ipsi irrisisse putes, fere inepta sunt, ea, si poeta loquitur, quanta ironia satirica, loco egregie accommodata, excellunt, quod jam magnus Casaubonus simplici ille et incorrupto, quo semper utitur, judicio perspexit. Neque vv. 28—31 recte adversario tribuuntur, qui sana mente ita loqui non poterat; Persius sermonem ita informasse et quasi in majus extulisse videtur, ut magis appareret illius stultitia et fatuitas. Quare illum v. 40 sqq. se interpellantem facit, quod nimis risui indulgeat et modum excedat. Heinrichius inde a v. 24 omnia (praeter v. 26, 27) adversario tribuit, quo omnis satirae vigor infringitur, omnis evanescit sermonis festivitas. — Ad v. 35 interpretes versum Lucilii frg. XXX, 68 afferre poterant:

„Supplantare aiunt,
Graeci ὑποσκελίζειν dicunt.“ —

V. 36 sqq. Verbis praeclaris et vere poeticis:

„ — nunc non e manibus illis,
Nunc non e tumulo fortunataque favilla
Nascentur violae?“

illa Shakespearii verba (Hamlet), ipsa quasi floribus fragrantia, similia sunt:

„Lay her i'the earth
And from her fair and unpolluted flesh
May violets spring.“

Eadem suavitate poetica sat. II. v. 38, ubi nutrix pro puero vota facit, excellit:

„ — quidquid calcaverit hic, rosa fiat.“ —

---

*) Specim. crit. . . . . cum animadvv. in sat. I. Zalt—Boemeliae 1849)

Digitized by Google

V. 60. Lectio „tantae“, etsi majore codd. auctoritate nititur et verbis scholiastae: „tantae id est tantum prolatae“ comprobari videtur, ferri nequit, cui alteram lectionem tantum Hauthal., Heinr., Orellius praeferendam censuerunt. Pluralis ille, a poetae verbis alienus, et grammaticorum legibus et ipsius scholiastae verbis: „aut protendunt linguam, quantum Apula canis multa siti . . . ., nam tria sunt genera sannarum, aut manu significare ciconiam, aut auriculas asini, aut linguam sitientis canis“ redarguitur. — V. 56. Verba: „Qui pote vis dicam“ non Persii, „qui pro cliente non rogatus respondet“ (Herm. L. P. II, p. 14), sed ipsius clientis esse mihi videntur, qui quid patrono satis dignum proferat animi pendet. At ille, dum laudem exspectanti a tergo illuditur, morae impatiens iterum quaerit (v. 63): „Quis populi sermo est?“ „Quis enim nisi . . . .“ cliens respondet et vv. 63—68 poetam laudibus exornat, quae ex marmorariorum et fabrorum loquendi more conformatae populi sermonem, cujus ille interpres est, optime exprimunt. Versuum levitatem et elegantiam laudans carmina elegiaca vel lyrica respexisse videtur, certe, quod particula sive indicatur, vv. 67, 68 aliud carminum genus, ut verbo opus est et particula in declaratur, satiricum describitur. Prandiis regum tragoediam significari Donnerus existimavit, quod sententiae aptissimum, ob verborum conformationem mihi parum veri simile videtur. — V. 69 sqq. Persius ipse, quod etiam particula ecce probatur, qua semper novum quid indicatur, de miseris illis poetis judicium fecit.

V. 74. Lectio multorum quidem codd. dictaturam e scholiastae verbis in textum irrepsisse mihi videtur. Apud Livium (III, 26) uxor Cincinnati „togam propere e tugurio proferre“ jubetur, quare de veste quadam dictatoria, quae dictatura appellata sit, omnino cogitari non potest. In optimis codd. dictatorem, in fragmento cod. Vaticani palimpsesti „Quem dictatorem“ legitur, quae lectio mihi optima videtur. Altera lectio, quod Herm. putavit, Sidonii Apollinaris verbis:

„Sic quondam ad patriae res fractas pauper arator
Cincinnate venis, veterem cum te induit uxor
Ante boves trabeam, . . .“

Digitized by Google

minime defenditur, quum ille Persium, non ut verbum de verbo exprimeret, aperte imitatus, rem, quam Persius describit, quasi praeteriens narret. Particula cum recepta verborum ordo pervertitur, qui hic est: Unde Remus et tu Quinti, quem arantem uxor dictatorem induit et cui aratra licter domum tulit. Jahnius, codd. minoris facere, quam sententiam non ausus, pronomen relativum aptius esse, quam particulam cum, sed librarios in eo offendisse, quod pron. relat. pron. poss. sequatur, recte perspexit. At simili licentia poeta v. 115 loquitur:

„Secuit Lucilius urbem,
Te Lupi, te Muci et genuinum fregit in illis"

Ceterum lectio quem eo firmatur, quod in plerisque codd. „quem — dictaturam" legitur.

Jahnius recte fecit, quod v. 86 cum Heinr. et Bentleio (ad Hor. sat. I, 10, 78) in ed. min. Jos. Scaligeri conjecturam doctus, quae sola Persio digna et fere necessaria mihi videtur, recepit. Non figurae, quibus orator orationem exornaverit, sed ars illis commode utendi laudatur. — Heinr. v. 90 bene portas scripsit, quum naufragus calamitate canenda jam stipem colligens describatur.

In versibus qui sequuntur disponendis editores multum inter se dissentiunt. Heinrichii et Hermanni versuum ordo, ex quo vv. 92—97 adversario, reliqui poetae tribuuntur, etsi multo melior est, quam illorum, qui singulos versus ut in comoedia inter Persium et adversarium distribuerunt ac fere discerpserunt, verus mihi non videtur. Adversarium, acerbum illud „Claudere sic versum didicit" proloqui haud veritum, ut numerorum decorem et elegantiam laudaret, ex carminibus poetarum, quos defendit, tumida quaecunque et inflata elegisse, credi non potest. Neve vero cum Duebnero illos versus ex ingenio ac studiis poetarum illius aetatis a Persio ipso fictos et concinnatos existimes. VV. 96. 97, quibus Virgilii prae illorum tumore et ineptiis praestantia laudatur, Persii ipsius esse Jahn. recte intellexit. Melius jam Herderus primum tantum versum adversario, reliquos omnes poetae attribuendos esse judicavit. Optima et unice vera Reizii scholiastam, qui adversarii ne mentionem quidem fecit, secuti sententia mihi videtur, dialogum hic nullum esse, quam Orellius, Hau-

Digitized by Google

thal., nuperrime Kisselius probarunt. Ipse poeta per ludicrum quaedam in contrariam partem affert, donec v. 103 liberrima indignatio erumpit: „Haec fierent . . . ? — Versus 99 et 101, 100 et 102, miranda carminum, qualia tum scribebantur, exempla, extremis verbis inter se consonare, non fortuito accidisse, sed a Persio quaesitum esse videtur, ut poetas illos magis ridiculos redderet. — Versu 106 nonnulli suam probari sententiam existimarunt, Persium satiras multo labore et sudore conscripsisse, ac si nulla omnino carmina nisi summa animi contentione, quae pluteum caedendo, unguibus arrodendis, vultu torquendo se ostenderet, scribi posse asseverasset. Ita quae Persius, verbis fere ipsis ab Horatio (sat. I, 10, 70 „Et in versu faciendo. Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues") petitis, lepide et festive dixit, in serium converterunt. Jam Quintilianus (X, 3, 21) haec, quae per se reprehendenda sunt, sed altiorem animi motum sequi solent, illorum poetarum in scribendo levitati opponi intellexit.

V. 121. Ineptum illud „Auriculas asini quis non habet?" Persio prorsus indignum est, quod etiam Heinr., quamquam multa contra disputavit, suspectum habuit, quum, prave quidem, ita interpungeret: „vidi, vidi ipse, libelle, auriculas asini: quis non habet?" Sed jure optimo Orellius illud „quis non habet" post „vidi" insulsum judicavit et exsulare jussit. Quum illo „vidi, vidi" res certa significetur, verba: „aur. asini quis non habet?" admodum languent omnique fere sensu carent. Jahn. (p. 113. proll. p. 75, 80) illud, quod in in vita narratur, Persium ipsum „Mida rex" scripsisse, Cornutum, ne Nero in se dictum putaret, mutasse, non temere rejiciendum, nec fidem illi denegandam esse optime demonstravit. — Vocabulo paratus (v. 132; VI, 36) Juvenalis quoque frequenter usus est (III, 106; VI, 16, 244; IX, 7, 49; XIII, 108; XV, 102). Illi, qui Persium „perpetuum Horatii imitatorem" fuisse minutissimis quoque rebus probarae studuerunt, ipsum Juvenalem, qui Persium neglexisse videtur, interdum illius verba suis expressisse, vel certe ante oculos habuisse me ostendere permittent. Loci, in quibus offendi, hi sunt:

Digitized by Google

I, 142 „Poena tamen praesens, quum tu deponis amictus
Turgidus et crudum pavonem in balnea portas.
Hinc subitae mortes et intestata senectus. cf. P. III, 98 sqq.
III, 84 Usque adeo nihil est. . .?“
V, 128 „— quis vestrum temerarius usque adeo?“
X, 201 „Usque adeo gravis . . .“ cf. P. I, 26.
IV, 130 „Quidnam igitur censes? cf. P. I, 98.
VI, 65 „— subitum et miserabile, longum“ cf. P. I, 3 — „turpe et mis.! — Quare!“
VI, 165 „Rara avis in terris nigroque simillima cycno.“
VII, 202 „Felix ille tamen corvo quoque rarior albo“ cf. P. I, 46.
VI, 18 „— aperto viveret horto“ cf. P. II, 7 „aperto vivere voto.“
VI, 251 „Ut . . . et totum semel expiet annum,
Hibernum fracta glacie descendet in amnem,
Ter matutino Tiberi mergetur . . .“ cf. P. II, 15 sqq.
III, 81 „— me prior ille,
Advectus Romam quo pruna et cottona vento? cf. P. VI, 39.
X, 53 „Ergo supervacua aut perniciosa petuntur,
Propter quae fas est genua incerare Deorum“ cf. P. II, 55, sqq.
X, 101 „— — vasa minora
Frangere pannosus vacuis aedilis Ulubris“ cf. P. I, 130.
X, 167 „Ut pueris placeas et declamatio fias.“ cf. P. I, 29 „Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?“
VI, 612 „— Quod desipis, inde est. cf. P. V, 153
XIV, 153 „Tunicam mihi malo lupini“ cf. P. IV., 30.

Satira secunda.

V. 9. Immurmurat, optimis codd. probatum, fortius et expressius dictum est, murmurat Herm., quum introrsum

Digitized by Google

sufficere putaret, scripsit. — V. 10. Veram esse lectionem „Ebulliat patruus, praeclarum funus“ nemo negabit; en avarus prae nimio gaudio „praecl. funus“ exclamans! si velis, instituam, ostendam, vel simile quid addere possis. Quantum veteres funeri splendide ornando tribuerint, ipse Persius (VI, 33 sq.) et Horatius docent, sat. II, 5, 104:

»Sepulcrum
Permissum arbitrio sine sordibus exstrue, funus
Egregie factum laudet vicinia.« —

V. 16. Nocte nocturnae voluptates intelliguntur, cf. Juv. I, 36 »qui testamenta merentur Noctibus«, VI, 521 »totum semel expiet annum.« Signo interrogationis post v. purgas (Herm.) sententiae vis attenuatur. — Oratio quin aliquantum varietur, si Nerius post duas uxores elatas tertiam ducere et novis dotibus ditescere dicatur, minime nego, sed v. conditur, optimis codd., Hermanni et Jahnii consensu probatum, sermoni avari illius, mortem pupilli exoptantis, aptius est. — V. 19. „Cuiquam? cuinam« (Heinr. Orell.) scribi non posse, (cf. Herm. L. P. II, p. 26) Weberus acute observavit (»Si Latini, inquit, v. quisquam in interrogatione utuntur, exspectamus, ut interrogatus rem neget, quare si „cuiquam“ rectum esset, non interrogari rursus „cuinam,“ sed „nulli“ responderi debebat“). Recte mihi Herm. „cuinam? cuinam?“ scripsisse videtur, ut non, quod Jahn. voluit, adversarius poetam interpellet „cuinam?“ hic „cuinam? vis Staio?“ respondeat. Poeta non statim quem nominet reperit, unde illud abruptum et incisum dicendi genus. Similiter Plato, Phaedr. p. 235,d locutus est: „ὄμνυμι γάρ σοι τίνα μέντοι, τίνα θεῶν; ἢ βούλει . .“ Herm. etiam eo defenditur, quod Persius verba iterare solet, cf. I, 111, „Euge! omnes, omnes bene mirae eritis res“

V, 1 „Vatibus hic mos est, centum sibi poscere voces,
Centum ora et linguas optare in carmina centum.“

V, 174 „Hic, hic, quem quaerimus, hic est.“

IV, 23 „Ut nemo in sese temptat descendere, nemo!“ — V. 29. Mirum illud „quidnam est, qua mercede,“ cui simile v. 18 „estne ut“, ita fere est explicandum: Quid est, quo tamquam mercede, vel rectius quidnam est mercedis, quo.

Digitized by Google

V. 42. Grandes, quod Jahn. in ed. min. reprobavit, Herm. Lect. P. II, 26. praef. p. XIV bene defendit. — V. 45. Quod in optimis et antiquissimis codd. legitur accersis mihi cum Herm. (cf. L. P. III, p. 10) retinendum videtur, quum Persius verbis fortibus vel antiquis et obsoletis delectetur et etiam alio loco (V, 172) ex omnibus fere codd. accersor recte scribatur. Veri simile est, sed non exploratum, quod Stuerenburgius (progr. gymn. Hildbgh. a. 1839) statuit, accersere vocandi, arcessere accusandi vim habere. — V. 47. Accusativum flammas, quo res ipsa quasi praesens sub oculos subjicitur, nunc triumviri Jahn. Herm. Heinr. tuentur. — V. 51. Emendationem, quam Herm. proposuit (Allg. Schulztg. 1833) „fundo" suspiret „nummus in imo" (sc. est), vellem nunquam excogitasset. Audacius illi de nummo dictum videbatur, quod de homine dici debebat, at cf. v. 5 „tacita acerra", III, 39 „gemuerunt aera", III, 92 „modice sitienta lagena", III, 53 „sapiens porticus", apud alios poetas innumera alia. Quam praeclara, vere Persiana, vere poetica deleretur imago; quam jocosa nummi in arcae fundo ab omnibus sociis derelicti et salutem desperantis querela! (cf. Juv. VI, 363 „velut exhausta recidivus pullulet arca Nummus et . .")

V. 54. Heinr. et Jahn. recte „excutiat (Bentl. ad Hor. c. II. 7, 6 excutiet) scripserunt, quod Hermanno (praef. p. XIV) minus poetice dictum videtur, „praesertim quum pectore laevo, si cor proprie intelligatur, abundet." At illud apud poetam non abundat et, quod jam ex se intelligitur, ut cor proprie intelligamus jubet. Hermannus prava scholiastae interpretatione („pect. laevo, p. malo") in miram illam sententiam (L. P. III, p. 28) adductus est: „Homo in synecdochen cor appellatur, quia omnia, quae de eo praedicantur, cordis commotione fiunt, quod eo minus offendere potest, quo clarius ipse Persius VI, 10 „cor Enni" circumscriptione usus est." Lectio excutias jam eo refutatur, quod „guttas excutere" omnino dici non potest, excuti illi guttae i. e. lacrimae recte dicuntur, cui prae cupiditate et avaritia „cor non rite salit" (III, 111). Sudoris guttae intelligi non possunt, quum jam sudes antecedat, nisi part. et part. ut mutare velis. — V. 55. Aurum ovatum durius dictum infamarunt; sed similiter Ovidius (ex Ponto II, 1, 41) aurum triumphatum, audacius

Digitized by Google

Horatius (c. I, 31, 1) „Apollinem dedicatum," „impetus (III, 6, 10) auspicatos" appellavit. Mirum illud nescio jam cujus commentum, statuas albumine ovi inauratas intelligendas esse, Herm. jam ob metrum violatum admitti non posse ostendit (Philol. 1856). — V. 56. Deorum in templis vicina simulacra contemptim fratres aeni appellantur; de Dioscuris vel (schol.) quinquaginta filiis Aegypti cogitari non potest. — V. 61. Herm. et Jahn. pro eo, quod et apud Lactant. Inst. div. II, 2 et in quibusdam libris exstat: in terras, codd. auctoritate commoti cum Casaub. „in terris" scripserunt, quod fortius dictum existimarunt. Me verba „curvae in terris," a Casaubono argutule explicata („homines non solum terram spectare, sed in illa totos haerere") non intelligere fateor. Ipse vero Herm. antea (L. P. I, p. 28) accusativum, quem Reiz., Or., Web., Dübn. unice verum judicarunt et scholiasta quoque legisse videtur, optime defendit. Idem v. 62 hos nostros scripsit, quod L. P. III, p. 11 mihi non probavit. Hoc graviter et severe dictum est, cf. III, 85

„Hoc est quod palles? cur quis non prandeat, hoc est?"

V, 45 „Non equidem hoc dubites." — V. 69. Recte Orell., Jahn., Herm. in sancto scribunt, quo v. templum ab hominibus inviolatum et incorruptum describitur. — Quod Herm. v. 73 scripsit e cod. Leid. animi, mihi prorsus falsum, certe misere abundare videtur; melius fecisset, si Guyeti conjecturam compositi — animi recepisset. Verba „Compositum jus fasque animo" separari non possunt, nisi sententiae et verbis vim afferas. Apte dicitur composita mens, compositus animus, affectus compositi, „venae compositae" (Pers. III, 91), composita res publica, sed quomodo jus, quod nihil in se turbulenti vel concitati habet, compositum dici possit, equidem non intelligo. Alterum, fas animi Juvenalis loco, quem Herm. attulit, IV, 91 „libera verba animi proferre" minime defenditur.

Satira tertia.

V. 9. Lectionem findor-ut quamvis ineptam, sed omnibus fere codd. firmatam, Herm. et Jahn. deserere ausi non sunt;

Digitized by Google

Or., Heinr., alii neglectam lectionem finditur recte ac merito revocarunt. Findor ut vocabulo ut post v. finditur interposito et compendio scribendi non intellecto ortum esse videtur. Verba „Turgescit vitrea bilis; finditur“ certissime uni tantum Persio tribui nec separari (turg. — findor ut) possunt, nisi mirum inter duos verborum consensum statuas. Adolescentem ita de se loqui non potuisse Herm. antea (Rez. v. Plum. Allg. Schulzeitg. 1833 „findor ut ist albern u. psychologisch falsch, eine Selbstbetrachtung und kalte Objectivirung unzulässig“) recte perspexerat. Tum vix quispiam Latine „findor“ dixerit, recte Horatius sat. I, 3, 136 „Rumperis et latras,“ recte ille apud Plautum, Bacch. II, 3, 17

„Heu cor meum et cerebrum Nicobule finditur.“

Hauthalii conjectura findimur iisdem aliisque insuper (cf. v. 12, 14) incommodis laborat. Omnino haud placet, poetae verba (v. 8—15) voce illa solivaga interrumpi, neque negligenda Persii ars est, qua, dum dialogus re ipsa interrumpitur, ad veritatem rationem revocat et nonnulla secum commentatur (cf. I, 56 sqq.). Tandem adolescens ille, cui „pulchrum erat in medium diem dormire,“ ad studia surgit. — V. 10. Omnes interpretes praeter Plumium et Duebnerum illi assentientem verba positis capillis de membrana pumice levigata interpretati sunt. Sed non modo sententia, quod primarium est, communis quoque verborum usus illi interpretationi reluctatur. Cur pilos rasos memorare, quum talis membrana per se intelligatur et voc. bicolor poeticae descriptioni sufficiat? Jahn. unum tantum locum reperit, ubi pili capilli nominantur; at ibi jam de animalibus sermo fuerat, ut dubitari non posset. Tum vero „capillos ponere“ semper de illis pectendis et calamistro ornandis usurpatur. Quam egregie jam illa adolescentem desidiosum decent, qui nostrum „erst frisirt, dann studirt“ probasse videtur. Unum, quod nobis objici possit, verborum ordo est insolitus et affectatior, sed cf. Pers. V, 140

„Jam pueris pellem succinctus et oenophorum aptas.“

Hor. sat. I, 10, 19:

„Nil praeter Calvum et doctus cantare Catullum.“

Digitized by Google

sat. I, 5, 49

„Namque pila lippis inimicum et ludere crudis.“

ib. V. 72

„ — ubi sedulus hospes
Paene, macros, arsit, dum turdos versat in igni.“

sat. II, 1, 60

„Quisquis erit vitae, scribam, color.“

V. 13. Jahnium „argutius, quam verius“ pro „quod infusa“ sed scripsisse Herm. recte perspexit. Ille, quem hoc effugisse non potuit, non sola cod. Montepessulani auctoritate commotus, in eo offendit, quod Persius v. 14, quo eadem sententia expressa est, rursus part. quod, ac si novum quid adderetur, usus est; sed huic sententiae incommodo ista ratione non medetur. — V. 12, 14. Ipse Jahnius lectionem queritur tam egregie defendit, ut eam a viro doctissimo (jam proll. p. 196 dubio, num querimur restituendum esset) nunc relictam esse vix credere possim. Ad defendendam lectionem queritur quid Jahnii verbis addi possit nescio et profecto nulla vel emendatione vel amplificatione egent.

V. 26. Scholiasta verba secura patella (cf. Hor. sat. II, 7, 30 „securum olus“) optime interpretatus est „securos faciens.“ Victui sobrio et paucis contento „sollicitae opes“ (Hor. sat. II, 6, 79) oppositae sunt. — V. 29. Repetitio part. disjunctivae censoremve — vel permira est, sed non damnanda. Jahn. locum mutare antea veritus nunc facilius idque debilius censoremque recepit, quod vix quisquam, qui Persii fortem, interdum durum sermonem cognovit, probaverit. Si quid mutandum videatur, quod mihi non videtur, Casauboni lectio censoremne, uno tantum codice firmata, dignissima esset, quae reciperetur, quum Persius saepissime particulam ne non necessariam addat (cf. I, 26. 29. 80. 88. 119. II, 7. 8. III, 39. IV, 25. V, 146. 155. 168). Alii part. vel ad v. trabeate retulerunt, ut majus quid vel gravius addatur; at tali deverticulo opus non est. — Recte Herm. (cf. praef. p. 14) v. 46 dicere scripsit, quod codd. quidem pauci, sed in his duo praestantissimi, Trevirensis et Ebnerianus, tuentur et scholiasta legisse videtur, quum dicat: „merito, inquit, mihi lippitudinem accersebam, ne

Digitized by Google

Catonis deliberativam orationem recitarem.“ Lippitudine simulata puer primum ediscendi, deinde, quod summum erat, coram patre et amicis ab eo adductis recitandi laborem, maxime sibi invisum, effugit. Perperam vero Herm., codicum numero plurium et scholiastae auctoritatem secutus, pro non sano v. 46 et insano scripsit, quod de praeceptore immodestius (cf. v. 118 „non sanus Orestes“) dictum fuerit. Tum particula et, quae vv. grandia et laudanda conjungit, minime placet. Lectionis originem Jahn. ostendit. — V. 54. Cave particula et adjectiva insomnis et detonsa conjuncta putes; ad v. quibus referenda est. Similiter VI, 13 „securus et angulus ille .. quia“ et postpositum, neque negligendum est, quod Persius particulas copulativas duplicare solet (que-et I, 77; que-ac V, 114; que-que I, 48. II, 6. 25. 32. III, 61. 108. 117. V, 64. VI, 28. 47.) — V. 56. Hermanni lectio deduxit, quam Csb. usu loquendi refutari cognovit, loco quem attulit V, 35 „Deducit trepidas ramosa in compita mentes“ minime defenditur; ibi homines in compita, ubi viae diducuntur, deduci dicuntur. Finem simul, quem quis sibi proponat, v. deduxit significari Herm. (L. P. II, p. 35) mihi non probavit. — v. 60. Quod in plerisque codd. legitur, sed Latine dici non potest in quo, Herm. quomodo scholiastae verbis „in quo animi nervos intendas“ defendi sibi persuaserit, equidem non intelligo. Neque Herm., a Jahnio (Ztschr. f. Althw. 1844 p. 1112) et Teuffelio (Jen. Littztg. 1845 p. 781) monitus sententiam nunc improbavit In quod recte se habet et prudenter a Persio pro vulgari quo dictum est. Quod omnes fere neglexerunt, quum post v. tendis interpunxerint, v. arcum etiam ad v. tendis referendum est. Qui arcum tendit, viam, qua sagittam mittat, oculis constituit, tum vero certum finem sibi proponit. Artem vitae regendae ac moderandae, quam poeta hic imagine sagittarii, v. 68 imagine aurigae descripsit, ubi Herm. quam pro qua, ut cum Casaub. Heinr. et Jahn. legunt, scribens imaginis vim aliquantum infregisse videtur. Pluribus disputare opus non est, quum res pateat. Recte jam ipse Herm., Turnebum (adv. XXIII, 23) secutus L. P. II, p. 37 locum interpretatus erat: „quo ex loco (unde) flectendi initium faciendum sit, ut justa flexus mollities

Digitized by Google

evadat; qua de cautione in flectendo, quam jam Nestor Antilocho suo commendavit," brevius Casaubonus „unde et ubi vertamur."

V. 69. Illi nimis acute viderunt, qui nummum asperum novum neque usu detritum intellexerunt. Persius locum Horatii (sat. I, 1, 73)

> „Nescis quo valeat nummus, quem praebeat usum?
> Panis ematur . . ."

ante oculos habuisse videtur. — V. 78. Herm. lectionem omnibus fere codd. firmatam et a plerisque editoribus ipsoque antea Jahnio probatam „Quod satis est sapio mihi" jure servavit. Quod nonnulli, rerum novarum cupidi, praetulerunt „Quod sapio satis est mihi," mihi cum Herm. magis philosophi, quam, qui omnem philosophiam ridet, centurionis esse videtur. Illud „quod satis est" etiam Horatii locis, carm. III, 1, 25 „Desiderantem, quod satis est . . ." III, 16, 44 „Parca quod satis est manu" epp. II, 2, 52 „sed quod non desit habentem . . ." et Juvenalis XIV, 182 „Qui satis est mensis" defenditur. — V. 83. Verba aegroti veteris Jahn. non recte interpretatus est „qui diu aegrotavit"; ut I, 124 Aristophanes verecunde „praegrandis senex," ita hic philosophus mente non sanus contemptim „vetus aegrotus" appellatur. — V. 93. Quum tempus futurum in sententiis potissimum adhibeatur idemque repetitum significet (II, 5 libabit V, 97 vitiabit), Herm. hic, ubi fabula narratur, male rogabit pro rogavit scripsit, quod certe non fecisset, nisi illud in multis codd. legeretur. — V. 100. Gravius sonat, praesertim quum versum concludat, v. trientał. Triens plerumque nummus est („quadrante lavari" Hor. sat. I, 3, 137; Juv. VI, 447), triental poculum, quatuor cyathos capiens. Ceterum Persius Horatii epp. I, 16, 22: „Neu . . . occultam febrem sub tempus edendi Dissimules, donec manibus tremor incidat unctis," fortasse etiam Lucilii frg. XXVI, 12:

> „Audivi, quem febris una atque una ἀπεψία,
> Vini inquam hiatus poterit unus tollere"

meminit. — V. 108 totum aegroto tribuendum censeo, qui „summos pedesque manusque attingere," quod medici est, apte juberi

Digitized by Google

non potest. Ita sermo, aegroti moribus accommodatus, multo verior ac vividior redditur.

Satira quarta.

V. 3. Jahn. *o* redundanter positum jure rejecit; dic hoc cum vi quadam dictum est, ut Alcibiades „dicenda tacendaque callens“ ad id solum, quod interrogetur, respondeat. — V. 9. Heinrichium lectionem puto, quam omnes fere, quibus puta doctius videbatur, improbarunt, defendisse laetor; Alcibiades, quum populo suam sententiam aperiret, „puto“ dicere debebat. Illud „puta“ grammaticis concedamus. — V. 26. Indicativum oberrat conjunctivo fortiorem codd. fere omnes et schol. tuentur, cf. Petron. 37 „quantum milvi volant.“ — V. 31. Ex communi verbi usu „farratam ollam plaudere“ nihil aliud est, quam manibus pulsare et pertrectare, (cf. VI, 77) quod de olla fervefacta inepte dictum esset. Quare Jahn., quum, quod intelligi vellet „cum plausu excipere,“ per accusativum non declarari videret, recte ablativum restituit. Sed v. 35, Hermanni argumentatione (analecta p. 14) a vero deductus, nunc male hi mores scripsit. Voc. despuat solum durius est, quam ut ferri possit; multo simplicius est „despuat in mores, . . pandere“ i. e. qui te castiget, quod . . .

V. 48. Jahn. unam quam proposuit conjecturam amorum ipse (proll. p. 193) improbavit. Recte verba poetae intellexisse illi mihi videntur, qui amarum morosum, fastidiosum (cf. Hor. epod. 8, 19 „superbo i.,“ sat. II, 2, 109 „corpus superbum“) interpretati sunt; cui interpretationi Jahn. verba „quidquid . . . venit“ repugnare putavit, at cf. VI, 72 „Quum morosa vago singultiet inguine vena.“

Satira quinta.

V. 4 de Partho vulnerato, qui sagittam ex corpore evellere conatur, intelligi debet, quum Persius aperte Horatium, sat. II, 1, 15

„Aut labentis equo describit vulnera Parthi“

Digitized by Google

imitatus sit. Parthorum morem armis utendi describi, neque sententia, neque verba permittunt. Etiam v. 15 lectio teres, de qua quidem dubitari non potest, Horatii loco, sat. II, 7, 87 „in se ipso totus, teres atque rotundus“ defenditur. — V. 19. Hermannum lectionem bullatis, quam L. P. I, p. 13 defendit, etiam nunc tueri laetor; cur Persius, qui hic de se ipso loquitur, sermonem suum a verbis pullatis i. e. tragicis liberum fore promittat, profecto non intelligo. Verborum tumorem ac pompam inanem jam versibus qui praecedunt in poetis tragicis reprehendit, neque erat, cur hoc v. idem repeteret. Quod Jahn. probe perspexit, quum in ed. min. ex Horatii epp. I, 3, 14 „Tragica desaevit et ampullatur in arte“ cum Lachmanno (ad Lucret. VI, 1067, p. 414) ampullatis scriberet; sed novo illo verbo Herm. caesuram perire et versum pessumdari sensit. Simplex bullatis Csb., Reiz., Pass., Orell., Web. probarunt. — V. 20. Verba „dare pondus idonea fumo“ quamvis ab Horatii verbis epp. I, 19, 42: „pondus addere nugis“ profecta, non recte, ac si Persius simpliciter pro „nugis“ fumo dixerit, ex illis explicantur. Jocose dicta sunt: librum, si illum ut inutilem concremare volueris, vix ignem concipere fumumque e flamma crassum ac pinguem evolvi. — V. 24. Prima methaphora a re figlina, vel potius ab iis qui vascula emunt, altera a re tectoria petita est, sed cave, voc. pulsa ad alteram translato, utramque confundas. Certe Persius ab una metaphora ad alteram, nec, quod Handrick. (disp. de nonnullis V. Persii satirae locis. Torgau 1846 p. 10 sqq.,) multis probare studuit, a figurato ad proprium dicendi genus transgressus est, quod quidem aliis locis fecit V, 10. 108. III, 67. (V, 106 a proprio ad fig. dicendi genus transiit). — V. 26. Herm. et Heinr. lectionem his, quae etiam scholiastae verbis „ad hoc“ firmatur, alteri quam Jahn. nunc recepit hic jure praeposuerunt. — V. 56. Omnes editores inde a Casaubono scholiastae interpretationem: „irriguo, eo, quod somnus corpora irrigat“ incaute receperunt. Corpora laboribus fatigata somno irrigari optime dicuntur, non item ganeones et commissatores, quorum somnus, quum vino obruti et quasi sepulti turgescant, non infacete „irriguus“ appellatur. Certe Persius Horatii sat. II, 1, 8, meminit:

Digitized by Google

»Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto,
Irriguumque mero sub noctem corpus habento.“

— V. 66 Herm. prave distinxit: „Cras hoc fiet idem. — Cras fiet?“ Saltem itidem, non idem (ut neque II, 62 „hos nostros“) dici debebat. Sed satis acerbe adolescenti verba reduntur. — V. 64. Recte Jahn. nunc „puerique senesque“ scripsit; juvenesque a quodam mediae aetatis grammatico leviter erudito, qui „pueros“ philosophiae indociles putabat, profectum videri Teuffelius (Jen. Littztg. 1845. p. 779) acute observavit.

V. 73. Plerique editores v. ut, quum post illud interpunxerint, ad possidet retulerunt et explicarunt: qua, secundum quam far gratuitum possidet, quicunque libertatem nactus est. At verba ut quisque nullo modo separari posse mihi videntur. Jam schol. versus difficillimos optime interpretatus est: „libertate, hoc est sapientia, utendum est, non autem illa, quam Publius emeruit, qui per tesseram scabiosum far possidet.“ Ut non qua, sed qualem, ut eam explicandum esse, etiam Montius, Donnerus, veri non sordidi judices, existimarunt. Asyndeton „emeruit, scabiosum — possidet“, in quo plerique offenderunt (qua ante v. ut Koenig. addere non debebat), hanc interpretationem evertere non potest, quum Hermanni et Jahnii interpretatio aliis iisque majoribus incommodis laboret. Quisque alias pro quicunque recte dici posse non negaverim, sed v. ut a verbo possidet, ad quod illud referendum putarunt, nimis remotum est et duplex ablativus ut (qua) et tessera summopere displicet, nisi fortasse tesserulae scribere velis. Tum emeruit num ad „stipendia peracta, quibus perfunctus civis ad integrum libertatis usum accedat“ (Herm. L. P. II, p. 56), referri possit, vehementer dubito, quum de servo nuper manumisso agatur. Denique verba „scabiosum tesserula far possidet“ nimis premuntur, quae poeta, libertatem illam ridens, epexegetice, ut ita dicam, submisit, quo etiam asyndeton explicatur. — v. 82. Lectio hanc bona parte codd. (in nonnullis prave haec scripserunt) et scholiastae verbis defenditur. Libertatem ipsam poeta deridet, non commoda, quae illa fert; praeterea, quod jam supra (II, 19) monui, si quid acri studio impugnat, verba iterare solet.

Digitized by Google

V. 105. Lectio specimen licet omnium fere codd. auctoritate nitatur, speciem quin recte scribatur, dubitari non potest, quod Prisciani et scholiastae testimoniis, Orellii, Heinr., Herm., Jahnii (in ed. min.) consensu probatur. Specimen, quo res dijudicemus, non dignoscitur, sed agnoscitur et dignoscendo demum comparatur. Persius, si proprio dicendi genere usus esset, dixisset: „veri et falsi speciem dignoscere calles", quemadmodum Horatius sat. II, 3, 208 loquitur: „Qui species alias veri scelerisque tumultu Permixtas capiet". — V. 112. Voc. glutto cum Heinr. ablativum esse, quo simplicior verborum ordo servatur, et dictum pro avide, cupide existimo. Exemplis neque haec, neque altera interpretatio probari potest. — V. 117. Herm. recte sub pectore scripsit, quo recondita malitia multo vividius et expressius describatur, quam altera lectione: in pectore, quam Jahnium in ed. min. praeferre video — v. 118 repeto scribendum est, etsi minus codicibus commendetur. Persius hic a proprio ad figuratum dicendi genus transiit vel potius sententiam imagine expressit. Quae „dederat supra", relegere i. e. retractare, reputare, examinare, Stoico, quum res aperta sit nullumque examen desideret, indignum est.

Versum 126 Heinr. et Herm. illum secutus male cum v. qui sequitur („si increpuit") conjunxerunt; v. 125 „qui jubet" audiatur necesse est. Verba „cessas nugator?" dominum, non philosophum decent. — V. 134. Jahn. et Herm. recte ex codd. en saperdam scripserunt; non ipse piscis intelligitur, sed „genus salsamenti, quod ex pisce fit" (schol.). Sin saperdas scribimus, voc. en, quod sermonem concitatum exornat, ejiciamus necesse est et, num prima syllaba, quae longa esse debet, brevis an longa sit, dubium relinquitur. Si quis adhuc numero singulari offendatur, cf. III, 76 „Menaque quod prima nondum defecerit orca." — V. 135. Heinr. et Herm. (L. P. II, p. 56) Coa non recte de Cois illis vestibus dilucidis interpretati sunt; Horatii loco sat. I, 2, 101 „Cois tibi paene videre est." vestibus facillime suppletur, cf. Tibull. II, 4, 29 „Coa vestis", Hor. c. IV, 13, 13 „Coae purpurae". Saepissime vero vina voc. vini non addito Caecuba, Falerna . . a patria denominantur. Quare Orell. cum Casaub. (Jahn. dubitat) scholiastae interpretationem: „Lu-

Digitized by Google

brica Coa, vina ex Co insula; lubrica, id est lenia, aut quae ventrem solvant" probare non dubitavit. Tum lubrica vina optime, vestes lubricae non apte appellantur. Denique, quod quidem levius fuerit argumentum, mercatorem nave piscibus, castoreo stuppis, ebeno, ture repleta Coas simul vestes advehi permirum videtur.

V. 139. Orell., Heinr., Jahn., Herm. Casaubonum secuti num perages ex Graeco διάγειν, pro usitato δ. τὸν βίον, vitam peragere, vivere recte interpretati sint, valde dubium est, quum hoc nullo exemplo probari possit, certe scholiastae, qui non verba, sed sententiam explicavit, verbis „pauper necesse est vivas" minime defendatur. Paupertate vel mendicitate contentus nemo dici potest, quare perages cum infinitivo terebrare conjungatur et contentus per se intelligatur necesse est: paupertatem, quam ridicula probitate tua ipse meruisti, patienter necesse est feras. Jam vero omnis dubitatio v. 150, ubi peragant certissime pro pergant positum est, tollitur. Quod quum Herm. persuadere sibi non posset, manifesto librarii mendo sudore recepto peragere, ut VI, 22 „bona dente peragere", consumere, nostrum „durchbringen" esse statuit. Quae sententia (L. P. II, 57 sq.) jam scholiastae verbis „ut pecunia, quae tibi quincunces verecunde praestitit, cum periculo deunces praestet" satis refutata, quam inepta et infirma sit, Teuffel. (Jen. Littztg. 1845 p. 779) et Jahn. (Ztschr. f. Althw. 1843 p. 1110) optime demonstrarunt. Quo magis Jahnium ipsum nunc illam recepisse miror. Naturali et principali v. peragere significatione relicta aliam v. 139, aliam hic illi vim subjicere mihi durius videtur. At, Persii sermonis vel obscuritatem vel rigiditatem egressa, intelligi fere nequeunt, quae Herm. scholiastam presse secutus (pecuniam (!) — nummos, cum periculo — sudore) sententiae tenacior nunc scripsit. De quaestu fenore faciendo omnino non agitur; non fortunarum ruinas Luxuria avido mercatori minatur (quae Hermanni sententia illo „quid petis" diluitur), sed, quo desidiosum ac pigrum maxime commovet, omnem vitae laetioris spem illi eripit, si „nummum asperum" sectatus omnia maris atque viarum incommoda (v. 146—49) suscipiat. — V. 158. Compellatum, se vincula rupisse, ipsum dicere parum aptum mihi videtur, quaprop-

Digitized by Google

ter lectionem codd. satis firmatam rumpi praefero. — V. 159. Herm., et vel ac languidum existimans, plurimis optimisque codd. firmatam particulam ast, quae fortem et concitatum sermonem decet, jure recepit, erravit, quum v. 163, quod saepe fecit, solam codd. auctoritatem secutus, cum Jahnio (in ed. min.) adrodens scriberet. Recte quidem (L. P. III, p. 28) unguem adrodere gestum meditantis esse dixit, desperantis abrodere, sed recte etiam Bentl. ad Hor. c. IV, 14, 28 „meditari est non jam saevientis, sed iram potius dissimulantis et subdole occultantis, quo violentius postea erumpat.“ Chaerestratus non animo quieto rem deliberat, omni fere spe reconciliationis abjecta, quid faciat, summo incitatus amore incertus est. Tum adrodere jam uno voc. crudum („ita ut crudus fiat“) refutatur, cf. I, 106 „Nec pluteum caedit, nec demorsos sapit ungues.“, Hor., sat. I, 10, 71: „Saepe caput scaberet, vivos et roderet ungues.“ — V. 172. Recte Herm. fecit, quod primam personam accersar servavit, sed vellem etiam indicativum servasset, quem plerique codd. tuentur. Certe Persius non temere et inconsiderate modum mutavit; indicativus accersor, praesertim quum nec nunc antecedat, tempus indicat, conjunctivus supplicet causam addit, quae dubium magis stimulat rebusque suis diffidentem erigit et confirmat. — V. 172, 74 Herm. et Jahn. (qui proll. p. 196 jam dubitaverat, num hoc rectius esset) nec nunc scripserunt, quod, etiamsi Horatii loco gemino sat. II, 3, 262 non defenderetur, unice verum judico, quum, quod Teuffel. (Jen. Littztg. 1845 p. 779) acute observavit, ne nunc tempus praesens nimis premat, ac si postea „accedere“ licuisset, et ne nunc nullo modo, nec nunc recte pro „ne nunc quidem“ dici possit.

V. 185, 86. Tunc, quod plerique codd. et schol. praebent, languidiori tum praeferendum esse, jam Heinr. sensit; hoc Cicero libentius usurpat, illud poetae, cf. I, 9. 11; II, 35. — Quamvis, cur sacerdos lusca appelletur, ultro fere sese offerat, omnes editores praeter Montium et Donnerum verum non viderunt. Virgo deformis „puppa Veneri“ jam dudum „donata“ (II, 70) maritum desperans „ad ministeria Deorum se contulerat“. (schol.)

Digitized by Google

Satira sexta.

Nonnulli hujus satirae, qua „parcus ob heredis curam“ (Hor. epp. I, 5, 13) acerbe castigatur, loci tam difficiles sunt ad explicandum, ut interpretes in illis mirum in modum laboraverint, nec vero omnia expediverint. Omnes in contrarias sententias distrahuntur, ut vix quisquam reperiatur, qui cum reliquis consentiat. Quare cum illi mihi non omni ex parte satisfecerint, dum meo judicio utor integro et incorrupto, quae vera Persii, non interpretum mens fuerit, diligenter quaesivi, quo num quid profecerim, doctorum sit existimatio.

Statim v. 3 difficultatibus obstructus est, quae vocabulis mutatis non infringuntur. Primum Lucretianum illud „primordia rerum“, quod Csb., Heinr., alii proposuerunt, plerique editores jure rejecerunt. Orell. quum „prim. rerum“ recte dici, non item „veterum prim. rerum“ monuisset, Heinr. verba „numeris veterum“ conjunxit, quod, nisi re ipsa, jam caesura refellitur. Alii „vet. prim. vocum“ ita sunt interpretati, ut Bassum res etymologicas versibus tractasse statuerent; ejusmodi carmen grammaticus aliquis confecerit, non ille, quem solum Quintilianus Horatio parem judicavit. Sed fac illum animi causa grammaticorum praecepta versibus tradidisse, nonne permirum esset, Persium poetae sibi amicissimi laudes celebrantem talia a poesi quam maxime remota commemorare, nonne prorsus ineptum, illum res tam leves verbis gravibus ac fere grandiloquis efferre „nugisque addere pondus“? Bene hoc Weberus perspexit, qui tria Bassi lyricae poesis argumenta, „virorum fortium encomia, juvenum amores et honestos convivantium senum jocos“ describi affirmavit. Illo „juvenes agitare jocos“ poesis amatoria (Monti „amor giovanili“) describitur; fortasse voc. lusisse satira significatur, quod loco simili V, 16 comprobatur: „Doctus et ingenuo culpam defigere ludo.“ Bassum etiam satiram tentasse, non ita mirum est, quum veteres poetae unum quidem carminum genus excoluerint, sed alia quoque genera, in quibus ingenii vires exercerent, attigerint. Quod singula attinet, non facile quis Heinrichio

Digitized by Google

lusisse „delectare“ interpretato assentietur, nec Jahnio, qui „senes jocos“ intellexit, quod vix quisquam non monitus deprehenderit. Lectionem egregios, quam quidem omnes fere codd. praebent, editores jure rejecerunt, quum tum »jocos agitare« et »lusisse« ad v. opifex referre necesse sit, quod ineptum; jocorum opifex nulla laude dignus est. Mira argumenta, quibus Herm. (L. P. I, p. 7 sqq.) lectionem senex defendit, Jahn. (Ztschr. f. Althw. 1844 p. 1109) optime refutavit. Res tam aperta est, ut illis affici non possit, quum Persius Bassum »a prima adolescentia amicum habuerit« et satirae natura ea sit, ut nisi ad adolescentem scripta esse non potuerit. Illum a. 79 p. Ch., XVII annos post mortem Persii, Vesuvio ardente in villa Campana periisse, schol. narravit, quod cur fictum habeamus non video, quum ipsa Quintiliani verba »quem nuper vidimus« adolescentis egregiae spei immatura morte abrepti desiderium prodant.

V. 14. Heinr. recte, ni fallor, et si scripsit, plenius post v. pinguior interpungere necessarium non erat; si etsi scribimus, omnia ad v. recusem referenda sunt, quo sententiae ingenua hilaritas infringi mihi videtur. Quod in villa Ligustina securus vivat, sententia gravissima est, quae familiam ducit: se vicinis ditioribus non invidere et a victu sordido, quo vita molesta ac fere non vitalis reddatur, quam maxime abhorrere. — V. 24. Pluralis numerus »tenues sollers turdarum nosse salivas«, quem codd. optimi praebent, singulari tenuem salivam exquisitior est; majorem palati subtilitatem, qua gulosi etiam sexum turdorum deprehendere callebant, ostendit. — VV. 33—37 Herm. scholiastam secutus male adversario attribuit. Poeta illa per jocum minatur et, in ludendo fere nimius, rem ridicule describit, quae si adversario attribuas, omnis sermonis festivitas et urbana dissimulatio perditur. Adversarium serio vultuque composito haec dicere, mihi fere absurdum videtur. Deinde quomodo secunda persona curtaveris explicatur, quae ad Persium referri non potest, quamvis liberalitatem commendans pariter in heredem peccare videatur? Omnia Persii sunt, etiam illud: »Tune bona incolumis minuas?«, quod omnes fere editores adversario attribuerunt. Tum Herm. ex scholiis hemistichia v. 37 et 41

Digitized by Google

transposuit, quo, ut verum fatear, non modo nihil egit, sed etiam mire erravit. Verba „haec cinere ulterior metuas“, quae v. 41 sermonem ex mente adversarii institutum optime concludunt, post v. 36 fere inepta sunt, ubi illud „Tune bona incolumis minuas?“ sententiae egregie convenit. Tu, inquit heres, etsi vivus me tibi iratum effugeris, non inultum id auferes; mortuo tibi justa non persolvam.

Jam ad locum difficillimum v. 38 sq. pervenimus, ubi in illo „nostrum hoc maris expers“ interpretes multam operam consumpserunt vel ad ineptias delapsi perdiderunt. Ne adhuc quis cum Csb. et Pass. „maris expers“ molle, enerve (a v. mas), cum aliis ex vetere glossa „expers, ἄπειρος καὶ ἔμπειρος“ mare expertum, per mare advectum interpretetur, periculum non est; primum eo refutatur, quod, ut Montius et Meisterus scite observarunt, maris expers idem esset ac „nuptiarum expers“ (Hor. c. III, 10, 11), alterum ineptum est. Verbis difficillimis Horatii locus sat. II, 8, 15 „Chium maris expers“ lucem affert, unde Persius verba „maris expers,“ quae etiam Horatii versum concludunt, certissime assumpsit. Sed mire evenit, quod ipsa Horatii verba a plerisque non recte sunt explicata. „Chium maris expers“ aqua marina non temperatum intelligunt, quod si Horatius intelligi voluisset, non tam dure, tam ambigue fuisset locutus. Quanto simplicius cum ipso Horatio (ib. v. 47) „citra mare natum“ interpretari! Quam egregie paucis verbis misera Nasidieni, „parvi magnos imitati“, divitiarum ostentatio ridetur, in cujus coena aulaea pulvere gravida in mensas ruunt, „merulae pectore adusto et sine clune palumbes“ apponuntur, quem convivae omni sollicitudine districtum vicissim eludunt! Heinr. et Orell, vulgarem Horatii verborum interpretationem secuti, „sapere maris expers“ Graecam philosophiam insulsam ac delicatam intellexerunt, Jahn. rectius, non recte „ingenua vi et salubritate destitutam.“

Tertiam sententiam singulari libello explicatam Meisterus proposuit: Sapientia Graeca, quam non ut olim Athenis petimus, sed quae cismarina jam facta est ac nostras omnino. Sed illa, quum Bestius, homo agrestis omnisque doctrinae rudis, loquatur, doctior est, quam ut probari possit. Tum quomodo intelli-

Digitized by Google

ges verba „cum pipere et palmis venit?“ Idem Meisterus verum vidit, non intellexit, quum „remissive“ ita interpretetur: „Postquam Graecam sapientiam recepimus, omne nostrum (sapere) contemnere coepimus.“ Unice vera Turnebi (adv. XXIX, 7) interpretatio est, quam Jahnium (in ed. min.) et Hermannum, quum ante v. nostrum interpunxerint, probasse laetor: „Postquam transmarina coepimus uti sapientia et philosophorum disciplina, nostra haec vernacula et cismarina haberi coepit, nec in pretio, quod transmarina non esset. Itaque etiam foenisecae degeneravere et corrupti sunt et pultes suas magis quam olim unguere coeperunt.“ Hanc interpretationem tam simplicem Meisterus non probavit, quum, cur Graeca sapientia cismarina appelletur, se non intelligere dicat. At vero aperte Graeca philosophia Romano („nostro huic“) sapere opponitur, ut condimenta epularum opipararum pulti Romanae et cibis, quae mensam sobriam decent. Jam quam acerbe illud „maris expers,“ quum virtus Romana antea trans mare valuerit orbemque terrarum subegerit. Unum addo, verba „nostrum hoc maris expers“, quod Jahn. et Herm. fecerunt, apte ad priorem sententiae partem referri, quum hoc maxime Bestii, qui „Graecam urbem ferre non poterat“ (Juv. III, 60), iram suscitet, quod eo jam res venerit, ut foenisecae pultes „crasso unguine vitiare“ coeperint. Certam aliquam rem, quae morum ruinam ostendat, respici etiam illo „ita fit“ (nostrum „so geht's“) declaratur. Ita et sententia et periodus optime concluditur.

V. 51, 52. Ut verba „non adeo, inquis“ recte intelligantur, antea verba „Exossatus ager juxta est“ excutienda sunt. Plerique agrum exhaustum, cujus vires absumptae sint, exossatum appellari putant, quod et sententiae parum convenit et de animalibus quidem bene, de agro omnino dici non potest. Hermanni sententia ex scholiis petita (L. P. II, p. 63): „non adeo lapidibus vacuum esse vicinum agrum, ut quae sentiat impune eloqui audeat; dicit eum metuere, ne a populo, si largitionem prohibeat, lapidibus ex vicino agro obruatur“ jam eo confutatur, quod prodigus ille ludos ac viscerationem populo nequaquam promisit, sed tam immanem munerum magnificentiam tantummodo finxit, ut heredi illuderet. Recte Csb. locum interpre-

Digitized by Google

tatus est „ager probe cultus et purgatus a lapidibus," qui illi, quum cetera consumpserit, subsidio sit. Jam adeo neque cum Heinr. verbum existimabis, neque cum Herm. et Jahnio (in ed. min.) ad v. exossatus referes. Non adeo verba sunt heredis timide respondentis et invite alteri concedentis, quod illius moribus aptum etiam verbis „dic clare" comprobatur, quum avarus indignabundus, sed quae sentiebat proloqui veritus, quaedam introrsum sibi murmurasse videatur.

V. 61. Herm. lectionem poscas jure optimo restituit, „colligit tantum Persius, fieri posse, ut alter ad talem impudentiam progrediatur" (praef. p. 16). Idem v. 66 repone minus eleganti oppone praetulit, v. 69 conjunctivum coquatur, qui mihi necessarius videtur, cf. v. 74 „sit reliqua, ast illi tremat . . ." -- V. 76. Jahn. (in ed. min.) et Herm. ex cod. Montepessulano recte nec scripserunt. Num Cappadocas mercaturus „sollers omne latus mundi excutiet?" Lectionem ne nonnulli verbis scholiastae „ne sit te mercatorum quis ditior" probari putarunt. Ceterum Persius Horatii locum sat. I, 1, 38 ante oculus habuisse videtur: „Cum te neque fervidus aestus Demoveat lucro, neque hiems, ignis, mare, ferrum, Nil obstet tibi, dum ne sit te ditior alter."

V. 77. Lectionem plausisse, quae plerisque codd. (etiam iis, qui depravatum clausisse exhibent) defenditur, omnes fere editores jure receperunt. Csb. simpliciter, ut solet, interpretatur „plaudere est percutere, plana manu ferire ad ostentandam bene curatam cutem; confirmat hanc intp. vox pingues."

Versus illi faceti, quibus Persius satiram absolvit, fortasse ex Horatii verbis c. III, 24 extr. „Scilicet improbae Crescunt divitiae, tamen Curtae nescio quid semper abest rei" profecti sunt. Eror levis, qualis multis fortasse videatur, in quantos interdum errores inducat, Heinr. exemplo est, qui, quum Persii sententiam non intelligens ultimum versum adversario tribuisset, hanc satiram non ad finem perductam esse censuit. Hoc v. 18 sqq., ubi „gemini vario genio producti", alter triparcus, alter prodigus describuntur, probari existimavit, quum altera satirae pars desideretur; quae sententia jam ipso satirae argumento refutatur. Mihi nulla satira innotuit, quae argumenta tam diversa

Digitized by Google

complectatur. Tantum abest, ut haec satira imperfecta sit, ut „in se tota, teres atque rotunda“ concinniori fine ornari vix potuerit, quum, quae Horatii ars praecipua est, joco seria apte concludat.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

14 DAY USE
RETURN TO DESK FROM WHICH BORROWED

LOAN DEPT.

This book is due on the last date stamped below, or
on the date to which renewed.
Renewed books are subject to immediate recall.

23Oct'63BB	
REC'D LD	
JAN 2 0'64 -11 AM	

LD 21A–40*m*-4,'63
(D6471s10)476B

General Library
University of California
Berkeley

Digitized by Google

YC 01830

572904

UNIVERSITY OF CALIFORNIA LIBRARY

Digitized by Google